

15
Beyer, F.W.v. *4,14*

PIETAS PARASCEVASTICA
IN
S V P R E M A
S E R V A T O R I S
IN C R V C E
M O R I E N T I S

V I T E M B E R G A E
C I C I D C C X L V I

1746

PETAVS PARVSCHEAVSTIGA
IN
SAPRÆMAM
SERVATORIIS
IN GRACE
MORIENTIA

VITÆM PÆRIGAE
CIVICÆXIAI

I
TABVLAE IN PVBLICO
PROPOSITAE
DE
VESTIGIIS VVLNERVM SPECTAN
DIS IN CHRISTO AD EXTREMVM
IVDICIVM REDITVRO

NOBILISSIMOS ACADEMIAE
CIVES
AD ORATIONEM
IN MEMORIAM SERVATORIS
MORIENTIS
HODIE
IPSA HORA TERTIA FATALI
PVBLICE AC PIE HABENDAM
PER OFFICIOSE AC PER AMANTER
INVITAT
IO. GVILIELMVS DE BERGER
CONSILIA R. CAESAR. ET REGIVS AVLICVS HISTO
RIOGRAPHVS REGIVS ELOQ. P. P.

H odiernus dies omnis memoriae cruentissimus est,
et incredibilem in modum cruentus erit, quo-
ad homines futuri sunt. Quanquam enim unus
tantum caeditur, hic tamen est Dei Filius,
et ipse simul Deus, cuius sanguis tam pretiosus est,

ut eum dignitate nihil aequiparet, etiam si nobilissimo atque infinito sanguine totus Orbis terrarum ubique redundarit. Terribilis igitur atque horribilis hic dies est, quot tantus hominum furor in hominum Seruatorem effunditur, ut, qui sanctissimus esset atque innocentissimus, hunc, omni contumelia et acerbitate laceratum, de medio tollant. Ad facinus tam infandum ipsa rerum natura adeo obstupescit, ut caligo, Soli offusa, medio die, lucem opprimat, ac, terra mouente, ingentia faxa rupeisque dirumpantur. Salutaris nihilo fecius, ac plenus consolationis, hic dies est, quo tanta Dei in homines caritate, misericordia, sapientiaque, res geritur, ut Christi sanguis hominum saluti profundatur, quo semper, et ubique, possit elui, quicquid fordium peccata mortalibus asperserint, hi modo diuinum Christi meritum pia et constantissima fide arripiant. Vberimus hic perennisque fons salutis manat ex vulneribus, quae hodierno die Christo sunt inficta, quae piis omnibus hiant adhuc, ut ex eis omnis ueri coelestisque solatii succus hauriatur, quae perfugium miserae huic uitae praebent, ut in eis merito firmum perpetuumque incolumitatis praesidium constituantur. Itaque huc omnis religio optimi cuiusque dirigitur, hic mentis acies sanctissime defigitur, hic Christus ipse spectari uidetur, aperto quasi pectore, quod immenso humani generis amore desiderioque semper ardeat.

Sed, quoniam de Christi uulneribus neque dici, neque cogitari, satis potest, quaeri poterat, num Christus ad extremum iudicium ea redditurus sit corporis specie, quae uulnerum uestigia ostendat. Quae quidem quaestio tametifi momentum fidei non habet, potest tamen non mediocrem pietatis sensum mouere, cum uulnera Christi in memoriā

moriā nobis reuocet, quae satis pro dignitate, omni ex parte, considerari non possunt. Ioānes igitur Chrysostomus, uestigia uulnerum, in Christo, futuro iudice, conspetum iri, omnino arbitratur, atque hoc illi ita persuasum est, ut eam rem pro concione grauiter exponat, magnoque cum ardore defendat, tanquam minime dubiam. Quid mirandum sit, si Christus, iudicatum ueniens, ipsa secum uulnera afferat. ita fore, ut, ex Oraculo ueteri, uideant, quem confixerint. quod enim Christus egerit cum Thoma, huic, ut pertinacia diffidendi desisteret, monstrans clauorum uestigia, ipsaque uulnera, quibus digitum, manumque ipsam, admouere posset, hoc eadem Christum mente, isto tempore, facturum, ut, uulnera gerens, hominibus coram demonstret, se illum esse, qui Crucis fuerit affixus. Haec antistes oris aurei. Ex quibus intelligas, pro duplice hominum genere, duplēcē eius rei causam considerari, partim iustitiae seueritatem, qua perterrefaciendi sint percussores hostesque Christi, partim magnitudinem caritatis, quam Christus, humani generis amantissimus, piis declarandam, putet. Ambrosius, idem oportere sentiri, adeo inducit animum, ut eius tantae rei cogitationem magna imbuat religione. Ut ipsum audias, Nam quo modo non corpus erit, inquit, in quo manebant insignia uulnerum, uestigia cicatricum, quae Dominus palpanda obtulit. In quo non solum fidem firmat, sed etiam deuotionem acuit, quod uulnera, suscepta pro nobis, coelō inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostrae pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dextram collocat, tropaeum nostrae salutis amplexans. Haec praesul Mediolanensis. Vbi uides, ab Ambroſio uestigia uulnorum, quae Christus in Cruce acceperit, in eius corpore, in coeli gloriam iam elato, retineri, eiusque rei grauem

A 3

caus-

causam interseri, ut Christus, pro mortalibus deprecans, his uulnerum notis demonstraret $\lambda\gamma\tau\zeta\sigma\nu$ illud $\iota\sigma\zeta\zeta\sigma\omega\nu$, quo gratia Dei hominibus redempta sit. Vides, Christum his uulnerum uestigiis haud deformari, sed ita probari, sic placere, Deo Patri, ab eius dextra ut locetur, quasi tropaeum quoddam salutis triumphali corpore suo, omnium uictor hostium, statuens. Augustinus suffragatur Ambrosio, ab hoc, et eruptus quondam Manichaeis, et sacro fonte tinctus. Plane loquitur et assueranter, ut de re, quam certam habeat. Ego, Domini corpus, inquit, ita in coelo esse, credo, ut erat in terra, quando ascendit in coelum. Dixerat autem discipulis, ut in Euangelio legimus, de sua resurrectione dubitantibus, et, illud, quod uidebant, non corpus, sed spiritum esse, putantibus, Vide te manus meas et pedes, palpate et uidete, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me uidetis habere. Sicut eorum, cum esset in terra, contrecratus est manibus, sic eorum est, cum iret in coelum, deductus aspectibus. Ibi uox Angelica sonuit, Sic ueniet, quem ad modum eum uidistis, euntem in coelum. Fides adsit, et nulla quaestio manebit. Hactenus Augustinus. Quare, eum si audias, Christi corpus, quale discipuli manibus suis in terris contigerant, tale in coelum escendit, et, quale escendit in coelum, tale in coelo mansit. Ipso uocis Angelicae testimonia, quod discipuli audiuerant, se tuerit, et, si quis addubitet, hunc audiendum, non dicit, sed fidem religionemque postulat, quae si affuerit, nullum, retur, quaestioni locum fore. Sed aliis alter ac dubitanter sentit, qui librum eius de Symbolo laudant. Propere nimis. Hic enim liber aequem summoendus est Augustini familia, ac liber iste, de Baptismo Christi, Cypriano, non est enim celandum, afflictus, meritoque reiectus a sodalibus Diui Mauri,

Mauri, quo tamen alii clauorum uestigia defendunt. Nihil enim opus est auxilio Cypriani, cum liquido satis testetur Augustinus, quid Afri meliorum partium, hac de causa, existimauerint. Habes triumuiros, praestanti sanctitate, doctrina, auctoritate, a quibus certior fieri possis, quid Ecclesiae, Graeca, Latina, Africana, iudicauerint de uulnerum uestigiis, in corpore Christi reliquis, extreme que iudicio spectandis. Maiores, opinor, ne requisiueris quidem, praesertim cum memineris, in ea, quam attigerimus, quaestione caput fidei, ut dictum est, haud uersari.

Ex recenti Theologorum aetate, longum est, eorum sententias enumerare, mirandumque foret, inter eas in re proposta si conueniret, quae tot opinionibus, pro magna Religionum dissidentium varietate, solent, aliis de rebus, discrepare. Nec uero nostri consentiunt in hoc genere, quanquam pie sentiunt omnes. Horum tamen, qui priores sunt ueteribus, tres nominabo, uiros singulares, ut eos aequem numero Patribus sanctis, quos audiuimus. Martinus enim Lutherus, quanquam, ueterem sententiam sacris literis ad liquidum perduci, non arbitratur, eam tamen haud repudiari, modo cicatricum aspectus sit formosus, plenusque consolationis, sine ulla specie deformitatis. Martinus autem Chemnitius aperte iudicat, Christum, post suum in gloriam coelestem ingressum, uestigia uulnerum retinuisse, in memoriam pretii, pro nobis persoluti, ut quotidie recordetur, quam caro pretio simus empti. Ioannes denique Gerhardus plura in eandem sententiam scite differit, quam tamen probabilem potius existimat, quam certa diuinarum literarum fide manifestam.

Equi-

Evidem penitus acquiesco his in iudiciis summorum hominum, quorum sanctitatem revereor, ut debedo, quorum doctrinam iudico praestantissimam, uti res postulat, a quorum scriptis nunquam discedo, nisi doctor. De ueteribus autem doctoribus cogitans, horum, pietate doctrinaque tam insignium, studio me duci, non diffiteor, nec tamen id arroganter ago, ut refellam sententias aliorum, qui forte, ut sit interdum, dissentendi causam reperire sibi videantur. Veteres doctores, animaduerto, tum illum, de Edom uenientem, apud Esaiam, suosque in manibus suis describentem, apud eundem, tum signum illud, Filii hominis, in coelo uisendum, apud Matthaeum, contemplari, sed in primis Zachariae Oraculum in oculis habere, ut ex eo dent iudicem, hostilis saeuiae notis, in uulnerum signis, adhuc compunctum. Quo quidem Oraculo proprie, ut plures iam explicarunt, agi uidetur de perpeſſione Christi, crudeliter ab hostibus tranſfixi, agnoscenda piis deplorandaque, praeferenti, cum Ioannes Euangelistes uaticinationis huius ita meminerit, ut, eius fidem, hoc Christi indignissima perpetentis tempore, libera tam esse, notet. Idem nihil secius Ioannes, quanquam eum Zachariae locum non citat testem, eum tamen ad supremum terrae iudicium accommodat, in Apocalypsi sua. Itaque, ex pluribus, quos taceo, duos, video, Theologos clarissimos, Tarnouium atque Frischmuthium, ex hoc Ioanneo loco, vulnera, docere, in Christo iudice aliquando conficienda, quorum aspectus impiis terrorem offerat. Hoc idem uidetur in mentem uenisse uetus illis antistitibus, eosque mouisse, ut Christo, iudici generis humani futuro, cicatrices corporis, quondam nefarie vulnerati, darent.

Nec

Nec uero aliud iri spectatum corpus Christi, qui magno illi censorioque iudicio praefuturus sit, doctores iidem veteres collegisse uidentur ex verbis duorum Coelitum illorum, qui, discipulos Christi, magistri in coelum migrationem inspectantes, eamque desiderio prosequentes, affati, Quid, inquijunt, statis, in coelum suspicentes. Hic Iesus, qui isthinc in coelum receptus est, sic ueniet, quem ad modum uidistis eum, in coelum proficiscentem. Atqui Christum uiderant, uulnernum cicatrices habentem, eas etiam suis ipsorum manibus tractauerant, idque iussa ipsius Christi, qui fidem eorum, hoc aspectu corporis sui, studebat augere. Has discipuli cicatrices, quas in Christo, eis apparente, attoniti spectauerant, quas magistri, quadraginta dies cum eis uersati, consuetudine quotidiana familiarissimas habuerant, si desiderassenst in eo abeunte, quantum ista re, quaeso, in animis illorum, decedere potuisset eius fidei, quam magister eorum firmissimam reddere labauerat. Ergo, ne quid dubitationis, Christo iam oculis subducto, relinquatur, duo coelestes illi candidis uestibus, astantes eis, asseuerant, Christum, quo abierit modo, rediturum. In nube, dixeris. Angeli uero non dicunt, in nube, sed, eo modo, aiunt, quo uidistis eum proficiscentem. Ergo, et in nube, ut ipse Christus alumnos suos docuerat, et hoc corporis, cicatrices seruantis, habitu, quem uiderant discipuli, quem summo studio cognitum habebant. De solo perfectionis modo cogitare, difficile est, si plura expendas. Neque enim Christus reuertetur ascendens, ut hoc tempore demigrat, sed de coelo descendens. Non, sensim escendendo, sed comparendo in puncto temporis. Non, in sola nube, sed multo mirabilique comitatu. Narrant, quid certo sit euenturum, duumuiri diuini. Hoc discipulis haud denuo ntiarent, nisi eis prodeisset idem gratumque forer,

B

qui

qui eius rei cogitatione desiderium magistri, ab eorum amplexu auulsi, lenire possent. Ergo, ut consolentur discipulos, his reuersionem Christi spondent, eodem redditum modo, quo discesserit, ipsique discedentem uiderint. Atqui uiderant hi Christum, ex terris excedentem cum eis cicatricibus, quas in eius corpore toties erant contemplati. Viderant in primis manifesta clauorum uestigia in manibus, quibus extremo sublatis, Christus eis bene precabatur. Eum igitur reueretur esse cum vulnerum uestigiis, quae in terris, humani generis amore, gesserit, res erat multi solatii, magnique gaudii. Haec enim res testificari uidebatur Christi constantem in suos caritatem, quam in coelo non minuerit, perpetuam eius recordationem, qua suos complectatur, non intermissam eius deprecationem, qua Deum suis conciliare non destiterit. Proinde ipsam Christi personam respiciunt hi coelestes Genii, ut fieri maxime solet in narratione facti, quale tribunal extremi iudicij dabit. At noui nihil discipulis nuntiaretur, Christum in nube redditum. Hoc sciuerant ex ipso magistro, eum uenturum in nubibus coeli. Nec uero eis nouum erat spectaculum nubis coelestis, quale nubem mirifici candoris, canora etiam uoce mirabilem, uel audierant ex condiscipulis, uel aspexerant ipse, Christum in iugum montis comitati. Idcirco non tam nubem, Christi quasi scalam, intuentur, quam ipsum Christum, huius scalae gradibus ascendentem. Poterant autem, ut certiores essent, Christi, ab eis digressi, corpus, quod cupidissime spectabant, distinctius nosse, quoniam Christus, non evanuit in nimbo, procella quadam raptus, ut Romulus memoratur, sed in placida nube ascendit. In hoc igitur Christi, gradatim ascendentis, corpus discipuli oculos animosque intendunt, quantum et quoad possunt, et nihil in eo noui

PARASCEVASTICA

ii

noui reperiunt, quanquam ne tum quidem possunt a specrulo dimoueri, cum Christus a confpectu iam tectus esset. Itaque Nuntii coelestes, Quid statis, acclamant, in coeli obtutu defixi.

Haec succurrere poterant doctoribus aetatis pristinæ, e quibus antistes Hipponeñsis Angelicam de Christo uocem interpretatur, ut ostendimus, de ipsa corporis forma, qua redditurus sit Christus. Ut pluribus supersedeam, unum attingam, quod, diuinitus sibi demonstratum, Ioannes exul, in Patmo sua, cernit. Huius sane locus est symbolicus, sed Christianis cunctis tam luculentus, ut ipsomet Agni spectaculo, quod exhibet, rem illustrare videatur. Cui enim ignotus est Agnus ille, quem, ad se uenientem, Ioannes Baptistes Agnum Dei dicit, peccatum mundi tollentem. Hic autem Agnus, in medio Dei solio collocatus, uestigia uulnerum, si paullum attendis, ostendere uidetur haud obscure. Quanquam mactatus dicitur, non iacet tamen, sed stat, ut, eum reuixisse, uideas. Ac notas quidem corporis cruentati non potest, uti uidetur, non habere. Has enim nisi habeat, udenam intelligas, eum mactatum fuisse, qui tamen identidem mactatus dicatur. Sed ubinam Agnus hic Paschalis mactatus est. Nobis tacentibus, Crux, uocalior omni uoce, loquitur, quoniam huius Agni sanguine respersa est. Nec uero uestigia uulnerum, quae fauicius Agnus pertulit, dedecus habent, sed maximum decus, grauissimamque cauſam honoris, quem mactato huic Agno, necesse fit, haberri. Nam propterea nouum carmen huic Agno in coelo canitur, quod, mactatus, Deo, sanguine suo, redemit sanctos, ex omni natione, lingua, populo, gente, eosque Deo suo reges, et sacerdotes, fecit. Acclamat magna uoce infinitus Angelorum numerus, dignum esse hunc Agnum mactatum, qui potesta-

B 2

tes

tes accipiat, diuitias, sapientiam, uim, honorem, gloriam, laudem. Acclamat denique tota rerum natura, quae est in coelo, terra, sub terra, in mari, sedenti in solio, et Agno, laus, honos, gloria, imperium, in sempiterna saecula. Ecce tibi duplex Christi status, humilitatis aerumnosae, quo in statu, ut Agnus innocens, pro mortalibus afferendis, mactatur, et excelsitatis infinitae, ubi Agnus ille mactatus, summis in coelo diuinisque cumulatur honoribus propterea, quod mactatus est. Agnoscimus inde magnitudinem huius operis, terrae coeloque nunquam satis admirandi, quod Dei Filius, et hic ipse Deus, pro conseruandis hominibus suscipit, suum ideo sanguinem profundens. Tanto minus mireris, horum vulnerum uestigia in corpore Christi, quem signat Agnus, summe gloriose, retineri. Haec enim uestigia sunt testimonia mortis, qua Christus seruat homines, infinitique meriti, quo nobis Deum, nosque Deo ac sibi, recuperavit. Agnus et Leo, in eodem Ioannis loco, commemorantur, et utroque nomine Christus designatur. Sed Leo Victor auditur tantum, Agnus mactatus spectatur etiam, amplissimi quoque uerbis celebratur, sed, ut mactatus, ut sanguine suo redimens hominum genus. Hoc loco multa, licet, obserues. Quid autem potius obserues, quam, dignitatem uiiresque sanguinis illius pretiosi, quem Christus profundit, ut Agnus integer uitiose carens, praecognitus ante Orbem conditum, ultimis temporibus exhibitus, ut Petrus docet. Quid potius hoc loco praeterea consideres, quam, Christi, immanem in modum excruciatum, patientiam, mansuetudinem, innocentiam, et caritatem, in homines liberandos incredibilem, quae in terris sanguine profuso declarata sit, in coelo haud refrixerit extinctaque sit, sed, eodem translata, aestuet adhuc in Christi pectore, atque in sanctissimo eius corpore ostendat.

dat adhuc cicatrices, ex uulneribus residuas, ut monumenta amoris in homines pristini, praesentis, nunquamque restinguendi. Sicut igitur diuina Christi natura non dubitauit, arctissime cum humana copulari, sic humanam eius natum, in ipso gloriae fastigio, pudere non potuit, ex humili statu Christi, uestigia retinere uulnerum, quibus arduum, omnique aeternitati admirabile, salutis humanae opus perfectum est. Ceterum Agnus occiditur, Leo uincit, ut ait Bernardus

Quanquam huius aliquid iam dictum est, cum tamen de corpore omnium glorioſiſſimo magnifice omnino ſentiendum sit, dubitare adhuc poſſis, haecne uulnerum uestigia deceant Christi corpus, ſummae gloriae plenum. Ego uero non uulnera profero, ſed uestigia uulnerum, in manibus, pedibus, latere, ex clavis lanceaque relictar. Sciat fane, qui has propofuit quaeftiones, Christum poſt reſurrectionem cicatrices, non uulnera, demonstrare dubitantibus, ait Auguſtinus. Nec uero haec uulnerum uestigia dicas alia, quam illuſtribus ſplendidiffimisque notis inſignita, quae nitore ſuo feriant oculos intuentium, eosque conuertant ad ſe. Eas Christi cicatrices Solis radii clariiores, ac pulchriores, dicit Chryſotomus. Has autem uulnerum reliquias non crassas eſſe, intellexeris, ſed ſubtiliſſimas, et nihil eas, aio, deformitatis afferre, plurimum decoris, per mirabilem illam lucem, qua exſplendefcant. Nam, ſi haec uulnerum uestigia apparere debent, ut gaudio ſint piis, quibus incredibilem Christi amorem oſtentunt, ut terrori ſint impiis, qui uulnera Christi uel contempſerunt, uel intulerunt, inſignior certe quaedam notabiliorque lux eis uestigij conuenerit, qua niteant, ut ſplendor ſuo oculos omnium animosque, ad ſe uerſos, teneant.

B 3

Haec

Haec vulnerum insignia si pretia libertatis nostrae esse debent, quae Christus, pro nobis deprecans, Deo Patri ostendat, habent certe fulgorem, quo colluceant dignoscique possint. Quid, si ex his vulnerum uestigiis fulsit illa lux, quae Saulum, in via Damascena, circumfudit, uique sua prostravit, cum ille Christum et uidit, et audiit, ut vires eorum cognosceret vulnerum, quae Paullus deinde gentibus praedicaret, tanto eorum studio, nihil ut scire uellet, praeter Christum, Cruci suffixum. Hanc lucem singularem si repereris in gloriosis Christi cicatricibus, tum uero multo perfectius quid atque excellentius cogitare debueris, quam de corporibus hominum, gloria coelesti illustratis, cum nemo dubitet, quin horum gloria cum glorioso Christi corpore exaequari, magnificentia, neutiquam possit. Prope etiam est, ut credar Augustinus, in ipsis Martyrum beatorum corporibus illustribus usum iri cicatrices vulnerum, quae pro Christi nomine in tormentis excepta sint. Clariorū denique ducum est, non integro corpore gloriari, sed vulneribus, acceptis in acie, quorum uestigiis ornari uolunt. Marius Sallustianus, in probrum nobilitatis ignauae, cicatrices, aduorsō corpore, ostentat. Hae sunt, inquit, imagines meae, haec nobilitas, non hereditate relicta, ut illis. M. Antonius, in iudicio, M. Aquillii tunicam diloricat, et iudicibus cicatrices aduersas senis imperatoris ostendit, eaque re commotis iudicibus, consularem reum liberat. Quid fortius est, quid magnificenterius, quid gloriosius, Christo, domitore Serpentis furialis. Huius ille in capite, iam penitus obterendo, pedibus insistens, si morsu bestiae morientis in calce fauciatur, hoc uulnus quam dicas heroicam, quam cicatrices item heroicās, quae, sanato uulnere, remanerint in corpore, diuine facti testes atque praecones. Haec vulnerum in corpore Christi

sti uestigia Augustinus Titulos Gloriarum uocat, quae Seruato uestigia, omnium uulnera sanans, sibi uoluerit seruare. Has uulnerum noras, docet Cyrus Alexandrinus, a Christo in coelum inferri, eaque luculenta perpetuationis suae signa potestatis coelestibus ostendi, ut, infolito huius rei spectaculo, multiplex Dei sapientia, in se pro sancto grege declarata, inter superos celebretur.

Nos redimus ad ipsa Christi uulnera, eaque cum piis omnibus sancte ueneramur, ab eis solatia uitiae mortisque perimus, per ea tutum expeditumque iter in coelum faciemus. Hac in Seruatore nostrum pietate plenus est M^lo. Christianus, Gottliebii Filius, Vernsdorfius, dignus tanto Patre ac Theologo, cuius insignia in Academiam nostratem merita neque in animis nostris obsoleuerunt, neque ulla posteritatis obliuione delebuntur. Itaque statuit praedicatione laudum anniversaria prosequi mortem, quam Christus pro liberandis hominibus oppetit, acerbissimam illam quidem, sed uictricem simul, qua omnes humanae salutis hostes debellantur. Dicet hodie, procuratis a meridie sacris, in Auditorio minore, de Cruce, salutis humanae Tropaeo. Ac dicet quidem sanctitate elegantiaque pari, ornatus doctrina politissima, quam studiis sacris, felici cum industria, magnaue cum laude, iungere consuevit. Vobis, CIVES, nihil antiquius esse solet, quam grata in Liberatorem nostrum memoria, perpetuo huius studio adeo deditis, ut, hoc porissimum facrofanco tempore, nullum locum, uestra in Christum pietatis in publico declarande, praetermittatis. P. P. XVI.

Cal. Maias, A. R. G

CIO ID CC XLV

II

II

E I V S D E M B E R G E R I

P R A E F A T I O

D E

C H R I S T O

P L A C A B I L I T A T I S

E X E M P L O

Tam luctuosum miserandumque calamitatis spectaculum nobis, Auditores religiosissimi, hodierno die exhibet Christus, infelici arbore suspensus, ut nulla luctus, quamlibet grauis, imago mente nostra fingi possit, quae summis Christi miseriis non superetur. Videatis illum, inter duos latrones, ingentium scelerum reos damnatosque, medio pendente loco, qui nullius unquam criminis conuinci potuit, insons perpetuo sanctus que totus. Videatis illum, flagris caesum, contucciis uerberatum, omnibus ignominiae notis inuictum, qui ciuitates agrosque obiit, ut homines, religionis uerae rudes, coelesti sapientia imbueret, errantes in viam reduceret, ignaris incolumitatis suae iter, quo perueniretur in coelum, tutum expeditumque monstraret. Videatis illum, in Crucem actum, omni crudelitate diuexatum, uulneribus denique confectum, qui, sanans morbos infanabiles, caecis oculorum lumina, surdis audiendi facultatem, claudis incessum, dedit, leprosos purgauit, mortuos ipsos excitauit, de genere humano optime mereri multis studuit,

studuit, ac mirabilibus plane, modis. Quo uehementior ergo Christi caritas est in homines, quo immanior in eum hominum impetas, saevitia, furor, quo terribilior est ira Dei, ad ulciscendum nefas tam infandum exardescens, eo plus moeroris atque angoris nobis affert recordatio Christi, a mortalium perditissimis in Cruce necati.

Sed, quoniam Christus hodie, benignitate prorsus incredibili, in supplicio atrocissimo, docet homines imitationem bonitatis suae, luctus cedat pietati, ut nos, ex moerore recreati, atque erecti, animis ad audiendum descendumque compositis, moribunda Christi uoce proficiamus. Sedet igitur Christus in Cathedra Crucis, ut Augustinus loquitur, factisque septem uerbis, horum mente tententiaque tantum nobis edit, quantum grandia septem uolumina capere non possint. His de uerbis diuinis unum, exulceratis temporibus nostris summe necessarium, deligamus, quo Christus a Patre suo Coelesti inimicis suis, longe tererrimis, ueniam petit. Pater, inquit, ignosce eis. Nesciunt enim, quid faciant

Prima haec uox est, quam Christus in Cruce mittit, cinctus duobus facinorosis, altero a dextra, altero a sinistra. Quid crudelius fieri potuit, quam tolli in Crucem, quid magis ignominiose, quam, in hoc seruili supplicio, medium inter duos latrones constitui. Hic Christo, Dei Filio, ipsique Deo, in summa calamitate, a profligatis simis insultatur, eius uestimenta, sorte inter nequissimos diuisa, abripiuntur, eum populus magistratus que inspectans deridet, ei turba furialis, ut, alios seruare solitus, se nunc ipse seruet, si Dei Electus sit, undique clamat, ei milites, aceto oblato, illudunt, ut eripiat se e periculo, si Rex Iudeorum sit, ludificantes postulant,

C

ipsi

ipsi quoque conselerati, ab utroque latere, ei male dicunt. Ex quibus tamen alter emendatur, instinctu mirabili Spiritus Sancti ad Christum conuersus, cum audit eum, pro suis inimicis orantem. Vna Patris, a Christo appellati, uox, auribus accepta, animo considerata, quid est, quod in hoc latrone, diuinitus excitato, effecisse non videatur. Christus autem, tam indigne habitus, nihilo secius pro inimicis acerbissimis deprecatur, eorum inscitiae misericordiam Paternam flagitat, eis ueniam dari discupit, ut si hi, qui omnia crudelitatis exempla in eum ediderant, nihil deliquerint.

Hoc mihi loco consideretis, uelim, Auditores, honorem, quo Christus omni spoliatur, eius famam, quae infamia maxima aspergitur ac penitus obteritur, eius uitam denique ipsam, quae singulari aduersariorum sanguinariorum immanitate consumitur. Christus tamen, clavis confixus, uulneribus exhaustus, undique exagitatus, quasi nihil harum accepisset iniuriarum, supplicat Patri, ut hominibus, in se furentibus, delicata ignoscat. O quantum hoc specimen est placabilitatis, Auditores, quantum bonitatis, quantum caritatis, in humanum genus effusae.

Quod si communem humanae uitae consuetudinem, cui Seruator suum dedit exemplum, respicimus, quo tandem res Christiana redierit, uidemus. Probro saeculi, crudelis atque cruenti, aduocandae uidentur atque opponendae gentes profanae. Musonius, Hoc, inquit, cogitare, quem ad modum quis remordeat mordentem, et nocenti noceat, ferae est, non hominis. Itaque Seneca, Inhumatum, ait, uerbum est, et quidem pro iusto receptum, Vlilio, et a contumelia non differt, nisi ordine. Haec ille. Dion is, qui cum Platone in republica philosophatur, ultionem

tionem, ostendit, arbitrio legis, iustiorem quidem, illata iniuria, existimari, at natura si iudicetur, ex eodem animi morbo nasci. Atque hic quidem morbus haud leuis est, quod tanto quisque cupidior est vindictae, quanto minus habet rationis. Proinde uoluptatem Vltionis feminae trahit Satyricus, et, non audiendos, putat M^r Cicero, qui, grauiter irascentum inimicis, ducant, idque magnanimi et fortis uiri esse, censeant. Nihil enim, inquit, laudabilius est, nihil magno et paeclaro uiro dignius, placabilitate atque clementia. Probe uero. Placabilitas enim ostendit sapientiam et prudentiam, ut, cum fragilitatem naturae communis in nobis non minus, quam in aliis, agnoscamus, aequum arbitremur, aliis perinde crimina condonari, ac nostris, uelimus, ignosci. Placabilitas declarat amorem consociationis humanae, cui ut quisque maxime studet, ita maxime iniurias obliuiscitur, quas, tempus ulcisciendi nactus, persequi possit. Placabilitas proxime ad Deum accedit, qui, tot hominum, ex omni populorum genere, ex omni aetate fortunaque, iniuriis ubique ac quotidie laceritus, nisi mitem se misericordemque cunctis paeberet, quam, quaeso, repente de uniuerso hominum genere accutum foret.

Quanquam haec uere de mortalibus praedicantur, de Christo tamen multo excellentius quiddam dicendum est. Neque enim hic, in delictis, ignoscit hominibus, ut sibi rursus ignoscatur, cum, expers omnis infirmitatis, in alios peccare non possit. Sed tanto praestantior est Christi benignitas, quod, atrocissimis iniuriis affectus, aduersariis suis ignoscit, idemque ut faciat Pater Coelestis, eum ideo, ipsis in tormentis suis, elangueſcens, obſecrat. Nec uero pro his modo deprecatur, qui adsunt, iniuriasque praesentes

tes inferunt, sed pro cuncto etiam hominum genere, cuius, supplicio suo, culpam inueteratam luit. Itaque placabilitas illa, quae soli caritati seruit hominum, aequae propria est Christi, atque ipsa caritas generis humani. Haec enim illa est φιλανθρωπία, quae Christum coeli sedibus excivit, ut desperatus hominum rebus subueniret, quae eum, coelo deuocatum, laboribus aerumnisque, inter homines perferendis, distinxit, ut malis humanis medereretur, quae eum, ingratorum maleficis quamlibet afflictum, ad supplicium transdidit, ut moreretur pro hominibus, a morte uindicandis. Haec illa bonitas est coelestis, quam secum Christus de coelo detulit in terras, quam plurimis, et summis, in homines beneficiis, dum uersatus est inter homines, comprobauit, quam factis dictisque testatus est. Beati milites, inquit. Namque ii terram possidebunt. Beati misericordes. Namque eis tribuetur misericordia. Beati pacifici. Hi enim Dei filii uocabuntur

Quod utinam haec Christi uox, quam Seruator sanctissimus exemplo suo in Cruce illustrauit, temporibus nostris placabilitatem animorumque mansuetudinem conciliaret. Sed, populis odio ac diffidiis in se concitatis, uidemus, Auditores, in quae tempora inciderimus, in quantos gentium motus, in quanta rerum omnium discrimina, ut, si consiliis humanis res iudicanda sit, plus utique metus, quam spei, supereret videatur. Atque hoc quidem malum eo periculosius censeatur et capitalius, quod intestinum est, Germania in uiscera sua saeuentia, quae pluribus in partibus ardet bello, eoque periclitatur grauissime, quod incendio belli faces externae, ac flagrantissimae, subiiciuntur, in medio Germaniae sinu. Plures Europeae regiones hac rerum perturbatione agitantur, in quibus acriter depugnatum

gnatum est, noui exercitus instruuntur, ad arma res ita spectat, ut, cum plurimum sanguinis Christiani iam profusum sit, longe plus adhuc uideatur breui profundendum. Obstupescunt posteri, cum acceperint a nobis, quod credere uix possint, ipsum Turcorum Tyrannum, tantis Europae turbis, permotum fuisse, ut bellis, inter Christianos componendis, arbitrum se profiteretur, idque non modo Legatis Christianorum, Byzantii commorantibus, coram diceret, sed idem literis etiam, ad Reges Principesque dissidentes missis, significaret. Eone licentiae, discordia, res Christiana prolabitur, ut Barbari, Christiano nomini infensissimi, Christianos, mutuis in se odiis incitato, mutuis caedibus cladibusque cruentatos, ad pacem concordiamque hortentur.

Ades, o mitissime Iesu, ades nobis, qui solus nobis opitulari potes. Intercede numine tuo, cum te Pacis Principem colamus, praesentibus temporum malis, ne tantum sanguinis Christiani, ipsorum Christianorum iracundia ferroque, perdatur. Tu doces nos, e Crucis tuae exedra, studium atque necessitatem, ignoscendi inimicis, eosque diligendi, atque hoc idem exemplo tuo mirabili confirmas. Fac, repressis odiis, animi mites arque placabiles excitentur, qui, aequitate deliniti, pacem, quam bellum, malint. Fac, caritas Christiana succedat offendis, tumultui quies, periculis securitas. Precare pro nobis Patrem Coelestem, ut nobis delictorum gratiam faciat, et nobis ignoscat, quotiescumque peccamus inscientes, nosque Spiritu tuo Sacrosancto rege, scientes ne peccemus. Nos tibi gratias agimus habemusque immortales, qui morte tua redempti sumus a morte, nos tibi totos nos dedimus, qui beneficio tuo uiuimus, nos, abs

C 3

te

te nunquam diuellendi, moriemur tecum atque reuiuscemus. Fac igitur, sancta stabilique meriti tui infiniti fiducia, salui simus, ut te, una cum Patre, et Spiritu Sancto, in beatissima Coelitum societate, amplissimis in perpetuum laudibus celebremus

III

ORATORIS COMMENDATIO

Iacto hoc quasi gradu atque aditu ad cetera, quae peragenda sunt, sine mora ad propositum iam pergo. Producere enim in hanc literatissimorum hominum concionem Nobilissimum atque Clarissimum Liberalium Artium Magistrum, IO. CHRISTIANVM VVERNSDORFIVM, Vitemberga Saxonem. Hoc autem loco VVernsdorfianum nomen nemo temere ex me audit, quin Gottliebii VVernsdorpii, magni quondam apud nos Theologi, recordetur. Huius memoria uiget adhuc in animis nostris, huius scripta cupide lexitantur a plurimis, huius discipuli, qui multi ac praestantes, et apud nos, et apud alias tot gentes nationesque, sunt, pristini doctoris sui gloriam, multis saluberrimisque doctrinis, ornant. Sed tanti uiri sanctissima in religionem incorruptam, et spectatissima in Academiam nostratem, merita eo minus egent melaudatore, quo maiori in celebritate et uersantur adhuc, et perpetuo uersabuntur. Huius filius est hic Io. Christianus, tanto certe Patre dignissimus, propterea, quod uirtutem doctrinamque Paternam rectissimis plurimum generum studiis, sanctioribus maxime, aemulatur tam bene, ut in magna iam sit expectatione. Norunt Patres, uehementer

menterque comprobant, ornatissimi atque doctissimi iuuenis ingenium, ad laudem honoremque excitatum. Perspectam habent eius probitatem, quae in perpetuo honestatis, grauitatis, continentiae, studio elucet. Toties praelarlam de eo spem concipiunt, quoties eum, pluribus diuinae humanaeque sapientiae exercitationibus, singulari cum diligentia, multa cum fruge, deditum, uident. Haud ignorant Ciues humanitatem morum, elegantiam doctrine, plurium rerum scientiam, quam non secus in eo reperiunt, ac, laudari eam ab aliis, cognoscunt. Quo magis igitur cognita probataque praestantissimi iuuenis et virtus est, et eruditio, eo minus ei commendatione mea opus esse, iudico. Nec uero ipse, pro singulari modestia sua, copiose, uult, a me laudari. Audiri publice, manu, animique religionem, quam ei Seruatoris morientis ueneratio iniecit, in hoc religioso eruditorum coetu, gestit, explicatione. A uobis igitur, Auditores, maiorem in modum peto, detis hoc Iuuenis Optimi precibus, detis eius pietati, cui studet, detis materiae, quam expositurus est, ut ei uestram, in audiendo, humanitatem benevolentiamque impertiatis

PRAEICEAVS TICV

litterarum compendium, quod nullum sibi difficultate impedit
in progressu de laudis proportionis exordium. Ita
etiam perit etiam propositum, quod in perpetuo posse
est, hancemem conuenientem fidei gloriam. Tunc pro
scriptum est eo falso coniunctione, dicitur enim, huiusmodi ap
proposito primummodo praesertim extirpationis, negotiis
eius intelliguntur, neque non propter desiderium, sed etiam
gloriatur. Quae transversum motum, sequuntur docim
perit, primum idem genitum, dum non esse si eo se
parat, sed rursum eis de aliis coniunctione. Quia media
proposita coniunctio praesertim praeclarissima vocis et litterar
um, et secundum ea, non ea de coniunctione non erit
alii, neque postea. Hoc modo tunc, quo coniunctione non
concepitur, quia, ut videtur, Alius modus, tunc, quo
litteras regiomontanae dicuntur, etiam litteras deinceps
tunc, in propria loco, etiam litteras coniunctio, scilicet, ex parte
etiam, et modo primi, Alius modus, litteras in dictorum be
neficiis, etiam litteras Obitum ex parte, quae ex parte
litterarum, etiam litteras, etiam litteras, etiam litteras, etiam
litteras, etiam litteras, etiam litteras, etiam litteras, etiam litteras.

FILIO
DEI ET HOMINIS
IESV CHRISTO
IN MORTE
TRIVMPHATORI
IN CRUCE
ΤΡΟΠΑΙΟΤΧΩΙ
GENERIS HUMANI
RESTITUTORI
ABSOLVTISSIMO
SACRA
PANEGYRIS
DIE CHRISTI EMORTVALI
IPSAQVE FATALI HORA
A. R. S. MDCC XXXXV
IN PVBLICO ERVDITORVM CONSESSV
HABITA
AB
IOANNE CHRISTIANO WERNSDORFIO
AA. LL. M.



Exhorre, Natura parens ! iacet altus Olympi
Arbiter, immanni iacet obtruncatus ab hoste.
Cor trepidat, vox ore fugit, mens aegra recedit
Ad tantum stupefacta nefas; proh! qualibus ardet
Barbaries furis: non, si mihi tigridis horror
Effet, et Hyrcanæ solidarent pectora cautes,
Possem inturbatus sceleris meminisse cruenti.
O! nigris grauis Hora notis, quae munere Solis
Nunc fuluis nitidum radiis complectenis orbem,
Vulneribus rubicunda Dei, durabilis aeu*i*
Dedecus, et cuncti viuax infamia seculi.
Tu clauso*s*, hastas, tu conglomerata furorum
Agmina vidisti, cum prolabentia tandem
Colla Deus letho sensim inclinaret acerbo.
Funesta, infelix, et ter lacrymabilis Hora!
Quos mihi terrores, et quae spectacula menti
Obiicis, horribili qua pectus imagine terres?
Mors animo Tua, Christe, meo se se omnibus offert
Prodigiis comitata suis, et frigidus horror
Tristibus armatus confundit pectora monstris.
Te testor, coeleste iubar, pulcherrime Titan,
Te testor, vasti, lux communissima mundi,
Quos gemitus, quas tunc plagas, quae vulnera Christi
Videris, et Dominum quātū foeda morte perentum
Luxeris vībroso velatus lumina peplo.
Quis lacrymis sit, quaeſo, modus, dum mens pia Christi
Flebile supplicium, lacerataque corpora lustrat? a) Quis

a) Acerbissimi Christi supplicii dolore commotus, atque indignans exclamat Lactantius: Quid ego hic in tanto facinore deplorem? aut quibus verbis tantum nefas conquerar? Non enim Gauianam crucem describimus,

Quis gemitus, et verba sacris emortua labris
 Poisit olorinis satis ingeminare querelis,
 Diaque mortali deflere silentia planctu?
 Ipse pios fletus, et lamentabile carmen
 O moriens da Christe mihi. Tua Numina quondam
 Iessiaden docuere lyra plangente dolores
 Et gemitus proferre Tuos; mihi pectora languent
 Vulneribus confecta Tuis, cadit irritus ardor;
 Ingenique labor perit, exoptataque fontis
 Aonii resugit diuinos unda cruores.

Cernite, mortales, lacrymarum et soluite riuos,
 Hic pendet cruce uestra Salus. Fremit, ecce! furentum
 Golgatha carnificum strepitu; mala probra, saliuas,
 Fella et aceta b) parat rabidae petulantia turbae.

D 2

Hic

mus, quam M. Tullius vniuersae eloquentiae suae nervis ac viribus, ve-
 lut effusis totius ingenii fontibus, prosecutus est, facinus indignum ef-
 se proclamans, ciuem Romanum contra omnes leges in crux esse sub-
 latum. Qui quamvis innocens fuerit, et illo suppicio indignus, mor-
 talis tamen, et ab homine scelesto, qui iustitiam ignoraret, eo effectus
 est. Quid de huius crucis indignitate dicemus, in qua Deus a cultori-
 bus Dei suspensus est, atque suffixus. Lib. IV, Inft. diu. Cap. 18.

- b) Inuenio, Thomam Bartholinum L, de Cruce, Hypomn. II multum offen-
 di diversis Euangelistarum sententiis, cum de potu agunt, Christo, cum
 cruci esset affigendus, exhibito. Marthaeus enim Cap. XXVII, 34. ὅτε
 πέτη χολῆς μαργαρίτων, Marcus nero X V, 23. ἐν τοπαιογράφοις nominat.
 His in locis inter se conciliandis cum multum laborarint interpretes, ut
 rem expeditat Bartholinus, Marthaeum statuit hunc potum verbis tantum
 genericis describere, et per vocem ὕδως vinum vetus et acetosum, per
 κόλπην vero quamlibet amaritudinem indicare. Approbat vero vinum
 myrratum, quod est apud Marcum, quia visitissimum fuerit veteribus,
 vinum myrra condire, illudque hominibus suppicio definitis refici-
 endarum virium causa porrigitur. Exinde vero eorum opinionem rei-
 cit, qui apud Marthaeum legere malunt ὕδων. At nescio, an ita causam
 perorauerit Bartholinus. Praeterquam enim, quod codex Steph. et
 optimi quique apud Marthaeum ὕδων habent, in codice quoddam mem-
 brana.

Hic oculos, mortalis homo, conuerte, vagantes,
 Qui raro alterius casus miseraris acerbos;
 Nec culpa gemis ipse tua; Christi adspice poenas
 Abs te promeritas, sacui monumenta furoris
 Adspice, et exhorre; visa feritate latronum
 Mox animi cadet ille rigor. Tuus ecce! Redemitor
 Arbore dependet miserabile pondus ab alta,
 Nudus, egens, inhonorus, inops. Caua lumina pressis
 Conduntur ciliis; pallor decus abstulit oris;
 Torrida labra situ squalent; contusa genarum
 Subsidit macies; sitibundo sicca palato
 Vix se lingua mouet, sumtoque rigescit acetō. b)
 Frons squalore madet, capitque impacta corona
 Laxat sanguineos spīnis pungentibus imbrēs,
 Qui simul effreno lacrimarum rore remisti
 Ora super macerata ruunt; suffixa cruentis
 Brachia cum pedibus dant peruvia vulnera clavis;
 Perfoſſum quoque pectus hiat; crux emicat alte,

Pur-

branacco haud spornendas antiquitatis, quem ex indulgentia illustris Io.
 Guil. Bergeri, Praeceptoris mei summopere obſervandi, ipſe infipxi, illa
 lineae parte, qua forte ^{egos} iam ſcriptum erat, rafa, in margine ^{enī} ap-
 politum eft, haud difficii coniectura, ipſum librarium hanc lectionem
 pro genuina et optimi habuisse. Deinde, quod de vino myrrhato ve-
 teribus vſitato differit Bartholinus, eam maxime ob cauſam non admittendū videtur, quod ^{enī} veteribus non modo humorem viuis expref-
 sum, fed et quilibet potum designat. Notum ^{enī} eft, humorem
 ex hordeo praeparatum, qui Germanis veteribus in uſa fuit, a Tacito vi-
 num appellari. Hand igitur ſinistra iudicatur, potum Christo exhibi-
 tum, fuſile mixtum, et amarulentum, qui fontibus et ad supplicium
 damnatis porrigebat, ut stupe afficeret, et ſenſum perferendorum
 cruciatum auferret. Degustato hoc potu, recuſabat bibere Serua-
 tor. Sed altera vice, cum iam in cruce penderet, ſequi ſitare pro-
 nuntiaſſet, ſpongia mero aceto turgida ipſi ad os porrigebat, quod non
 recuſauit, Ioh. XIX, 29. Conf. Jacobus Bosius de glorioſa et triumphan-
 te cruce Lib. I, Cap. 16.

Purpureoque notat liuentia corpora tabo,
Et rigidae spumante rubent aspergine cautes.
Cernite! mortales, Pietas sanctissima triste
Supplicium, atque graues patitur, sine crimine, poenas,
Latronum sociata choro; Patientia summa
Indignis tractata modis, crudelibus irae
Obiicitur furijs, medio tranquilla tumultu;
Ipse Amor, ipsa Salus, ipsa et Misericordia mundi
Iam nulli miseranda gemit, rapiturque furentum
Effuso laniena globo; miseretur at ipse
Tortorum, supplexque Patrem pro gente precatur,
Nulla Dei species, nullum hic cessante notatur
Maiestate decus, nec luce intermicat villa.
Ille, aeterna suo qui transfit Numine secla,
Cuius et imperium rapidi nec semita Solis,
Nec Tellus terris, nec Nereus terminat undis,
Ille sub imperio vulgi feruile paratus
Supplicium subit, et consortia foeda latronum.
Illi oculi, quondam qui colluctante latenter
Vortice praeuum viderunt surgere mundum,
Conduntur subita gelidi caligine lethi.
Illa salutaris diae facundia linguae
Conticuit, residensque sonos sub morte relinquit
Vox summi sensusque Dei; perfossa trabali
Clavo dextra dolet, cuius munimine tellus
Cardinibus stat firma suis, quae flammæ Solis
Lora regit, gelidis quae fraena Trionibus aptat.
En! coeleste caput dumis et vepribus horret,
Astra quod illustri gaudent cinxisse corona.
Ille supercilio qui temperat omnia solo
Ad cuius nutum tumidos mare comprimit aestus,
Luctantesque tenent placata silentia venti,

Ille caput languens, letho inuadente, reclinat;
 Vita fugit, qua cuncta vigent, qui spiritus orbem
 Sustinet, hie lassus tenues efflatur in auras.
 Nec trepidat mens coeca hominum, Natura satiscens
 Concutitur, trepidansque suo dolet orba Magistro.
 Viuis, Christe, miser, nec habes, vbi colla reclines, c)
 Nunc toti moriens incumbis vertice mundo,
 Sentit et ille Tuas, succusso cardine, vires,
 Dum tellus coelumque tremit. Quid Achaica iactas
 Musa, Iouem, nutu quando tremefecit Olympum?
 Sat Tuus ostendit nutus Tua numina, Christe d)
 Te mundus viuente viget, moriente cohorret,
 Et perturbato trepidant elementa tenore.
 Nam lucis noctisque vices turbantur, et orbis
 Se se non solitis flecti miratur habenis.
 Iam sua Cimmeriis concedit regna tenebris
 Intercisa dies, densa ferrugine Phoebi
 Inficit facies, et summo squalet Olymbo.
 Cynthia cum pleno geminat sua lumina vultu, e)
 Ipsa laborantem cerat conterrata fratrem,
 Et properata sibi gaudet moderamina noctis;
 Nec tamen ignauas videt incandescere flamas,
 Et cornu languente latet: nam Sole retuso

Aenu-

c) Matth. VIII, 20.

d) Nutus, in primis capitis, maiestatis, potentiae, imperique signum est ve-
teribus, inde saepius ad significandam potestatem vel prouidentiam trans-
fertur. Numen quoque, quod a stirpe huius vocis ducitur, scriptoribus
antiquis vim, potestatem, consilium notat. Haec eruditissime explica-
ta cernas in Illustris Bergeri Strom. Acad. p. 380.e) Obscurationem Solis accidisse in plenilunio, constans est eruditorum opi-
nione, quia Christus tempore Paschatus supplicio crucis perfunditus est,
quod semper in plenilunio celebrabatur. Vid. Wolfius in Curis Phil. ad
Matth. XXVII, 45. Huetius in Dem. Euang. Prop. III, §. 8, 9. et Ale-
thaeus Tom. I, p. 58.

Aemulus affuetos orbis non colligit ignes,
 Phoebi et noctis inops. Immisis Hesperus vmbbris
 Offundit trepido tenebrosa crepuscula mundo,
 Post se iterum pro nocte diem ductura sequentem.
 Terra sua compage tenax, terrore repenti
 Icta, cauernolas aperit cum murmure rimas,
 Vulneribusque sui sociat sua vulnera Regis.
 Duries saxosa perit, ceu fulminis ictu
 Disturbata iacet scopulorum saucia moles.
 Tartara concussu reteguntur, nigraque mundi
 Fundamenta patent. Tuus ille, o Maxime Iesu,
 Halitus, exsanguis Tibi qui profugit ab ore,
 Exiit, et magni disiecit fragmina mundi.
 Ipfa sepulcrales laxant monumenta cauernas,
 Pallentes veniunt, referato carcere, Manes,
 Et mundo nigrante pauent; ita vbiique tumultus,
 Multus vbiique paor, simulacraque tristia mortis.

Quam misera, et quantis comitata horroribus orbi
 Mors Tua, Christe, venit; talis conuersio rerum
 Nunc quid inauditum docet euenisse, nouumque.
 Succubis morti ipse Deus, sed victor ab illa
 Ceu Phoenix surgis, reuocasque a morte salutem,
 Sicque efflorescit felix reparatio secli. f)
 Crux Tua, Christe, quidem, foedum et miserabile lignum;
 Sustinet exsangues lacerati corporis artus,
 Hostibus at nostris nunc illa morte subactis
 Hac cruce constituit Victoria sacra tropaeum. g)

Surge

f) Phoenix antiquis instauracionis et aeternitatis symbolum est. Hinc Imperatores Christiani imperium per religionem Christianam quasi renascens
 hac aue insigniant in numis. Conf. Osielius in Thef. Num. Sel. Tab. LVIII.

g) Crucis Christi cum tropaeo comparatio scriptoribus veteris ecclesiae visitissima

Surge, anime; ex tristi nunc carmine, pelle dolores,
 Et Domini fractas ex morte recollige vires,
 Excipient tristes epinicia viuida Ieslus.
 Exsulta, Natura parens, portenta facestant
 Tristia, terrarum grauis ille relanguat horror,
 Et subtracta Dei gemitu lux splendeat orbi.
 Ille instaurator sanctae per funera pacis
 Dudum victrici clamauit voce: *Peractum est!*
 Iam nunc compositis rebus, nunc, sanguine Christi
 Profuso quaesita, redit pax laeta, suoque
 Cum Domino stabili conspirat foedere mundus. h.)

Ipsa

tissima est, cum propter similitudinem, tum quia monumentum est vi-
 ctoriae Christi, quam ab hostibus humani generis, morte sui subactis,
 reportauit. Minucius in Octauio: *Tropaëa vestra victricia, inquit, non
 tantum simplicis crucis speciem, verum et affixi hominis imitatur, et Ter-
 tullianus Apol. Cap. 16. crucis vocat *infestissima tropaeorum*. Conf. Oisli-
 us l. c. Tab. XCV, n. 7, 8, 9, 10, II. Hinc scriptoribus Christianis in more
 positum, ut crucem vocent tropaeum. Eusebius de Vita Conſt. I, 28.
 nominat *τρόπαιον*, item τὸ *τρόπαιον τρόπαιον*. II, 7. Prudentius καὶ πρ.,
 IX, v. 82:*

Solue vocem, mens, sonoram, solue linguam mobilem,
 Dic tropaeum passionis, dic triumphalem crucem.

Cæterum, quæ de tropacis sint digna notatu, collegit Iul. Caes. Bulen-
 gerus Opp. Tom. II. Cap. 3. de Triumpho, cui addi mererit Barbius
 ad Statuum Tom. II, p. 628. Spanheimus de Vñ et praef. num. Tom. II,
 p. 220, seqq. Illustriora erecti de caesis hostibus tropaci exempla sunt Ace-
 neae apud Virg. Aen. XI ab initio, et Tydei apud Statuum Theb. II, v.
 704, seqq. Ponebantur tropaea, si fieri poterat, ad fortium heroum tu-
 mulos, teste Buleng. l. c. Inde si verum esset, quæ quorundam fuit fer-
 tentia, in monte calvariae, quo Christus cruci affixus est, fuisse sepul-
 crum Adami, in hoc etiam conueniret crux sacra cum paganorum tro-
 pacis. vid. Bosius l. c. p. 493.

h) Sanguinis Christi intercessio restituit et confirmavit vinculum amoris
 inter Deum et homines, quo iporum peccata a Deo diremerant. Hoc
 dudum veteres perspexisse videntur, cum Africam e terris rececisse
 propter hominum flagitia dicunt. Catullus Epith. Pel. et Thet. in fine:

Omnia fanda nefanda malo permista furore
 Iustificam nobis montem auertere Deorum.

Ipsa volans coelo niueis Victoria pennis
 Innectit nitido crystallina fidera fert,
 Sidera victoris Christi cinctura tropaeum. i)
 Iam video variis pictam Thaumantida gemmis,
 Nuncia quae pacis, diuini et amoris imago,
 Lucida per totas expandere cornua nubes,
 Atque crucem Christi nitido circumdare flexu.
 Ipsa Salus alto passu spatiata per orbem
 Tempora mortali tribuit felicia genti.
 Mortales Tua, Christe, vident per funera vitam,
 Vinceris, ut vincas, et victus conteris hostes.
 Totius immanes Orci pius excipis iras,
 Ingentes hominum persers in corpore poenas,
 Et mortis quoque fata subis; sed visus inermis
 Hostibus, et cohicens diuini roboris arma,
 Inde per insidias exutos deprimis hostes
 Victor ouans, tantoque metu nos eximis omnes.
 Quid metuamus adhuc? Tua stat Victoria firma,
 Atque illam contra Stygius male sibilat anguis. k)
 Horrida Taenarii curuamina fracta colubri,
 Et post ablatum nunc facta innoxia virus,
 Symbola iam nostrae sunt indubitata salutis. l)

E

Nunc-

i) Tropaea in numis saepe a Victoria adstante coronata cernuntur, et in signis militaris coronae laureae sunt, quasi Victoriae sacris, qualis coronam in labaro confidendo retinuit Constantinus, teste Eusebio de vita Conf. I, 31. Similiter Christus in sacris litteris per persecutions suas in cruce dicitur coronatus, Hebr. II, 9. De crucibus coronatis antiquitus sculpi vel pingi solitis agit Bosius, VI, 11.

k) Conf. Oifelius Tab. X V, 11, 12.

l) Serpentem et draconem salutis felicitatisque symbolum frequenter esse, docent veterum numi, cuius rei rationes afferat Petrus Seguinus in Agathodaeum inter selecta ciuilem num. pag. 300. Inde figurae Aesculapii et Hygieae fere semper ornantur serpente, ut videndum in numero Pergamentorum apud Laur. Begerum Thes. Brand. Tom. II, pag. 694.

Nuncc Tuis hominum perit cruciatibus angor,
 Nec noxae mala culpa premit; timor ille timorum
 Maximus oppressus nunc Te moriente recessit.
 Morte paris vitam, vtrices induit alas
 Permutatque breues lauris Libilita cupressus.
 Supplicium seruile Tuum est vindicta gementes
 Exsoluens homines, est crux Tua grande tropaeum,
 Nostraque libertas Tua fit victoria, Christe. m)

Quam bene concilias placatis Numina terris,
 Fundator pacis, domitor pallentis Auerni,
 Coelestis sponsor, reparator maxime mundi.
 Dum genus humanum profuso sanguine purgas,
 Iustitiaque litas crucis ara; victimam pendes
 Grata Deo, nostraque locas monumenta salutis,
 Monstrorum exuvias suffixo in corpore gestans.
 Constituant domito veteres ex hoste tropaea
 Vix genti paritura decus; Tua, Christe Redemptor,
 Crux recreat gentes, quoquot complectitur orbis.
 Heu! quanta premitur spoliorum mole tropaeum!
 Mundi damna serens: antiqua labe grauatae,
 Et foeda nocui squalentes peste veneni
 Dependent tunicae; Natura humana resertur
 His semper stringi tunicis, arcteque teneri;
 Impietas foedumque Scelus squalore situque
 Dicitur has crebros magis infecisse per vius,
 At nunc abluta rorant de sanguine Christi.

Parte

m) Subiecit has cogitationes animo riunius Magnentii apud Oisel. Tab. LXXXVII, 8, vbi Victoria alata, et Libertas, sinistra manu virgam tenens, quae vindicta dicitur, adstant tropaeo, illudque dextris apprehendunt; supra epigraphe: VICTORIA AVG. LIB. ROMANOR. Respicit hic nummus denictum a Magnentio Nepotianum, qui Romae imperium inuaserat, vt resert Zosinus Hist. Lib. II, Cap. 43. De vindicta, qua serui manumittabantur, conser Rosini Ant. Rom. Lib. I, Cap. 20.

Parte alia pendet clypeus, quem Noxa capessit
 Ad furti tegumenta lui, quo protegit ora
 Si spectare Dei sacros timet anxia vultus;
 Aut si velocis, fugientia terga secutae,
 Declinare cupit lethalia spicula Mortis,
 Se tegit hoc clypeo; Suffixa hac casside Noxa
 Furta, dolos, meritisque malae conamina texit,
 Si celata ceruice vagans, et fronte feroci
 Diuinae rupit quassata repagula legis;
 Hic inimica mali cernuntur spicula Ditis,
 Hic acies ignita perit, captiuaque cuspis
 Nil saevum vel triste micat; Lethi horridus ensis
 Pendet, et innocuo placidus mucrone coruscat,
 Rore salutiferi tinctus spirante cruoris.

Sic nece, Christe, Tua prostratis vndeque monstros,
 Et tecum exuuias crucis alta ad robora tollens
 Sacra Deo peragis totum placantia mundum.
 Ostendis spolia illa Patri facrasque benigno,
 Humanamque illo commendas munere gentem. n)
 Discinctus nudusque crucis de spite pendas,
 Sanguine cum vasti noxas pius eluis orbis,
 Exoluisque fidem, qua prima ab origine mundi

E 2

Tu

n) Triumphantibus Capitolium ingressi prius spolia hostium dedicabant, deinde coronam deponebant in sinu Iouis, tandemque vota nuncupabant pro re Romana amplius conservanda; vid. Buleng. de Triumpho Cap. 32. Ita Restitutori humani generis arma hostium, que ipse sustinuit in cruciatus suis, atque per mortem suam debilitavit fregitque, secum offerat Deo, inque gratiam humani generis dedicat, atque certissimum victoriae suae testimonium edit, cum animam suam tradit in manus Patris coelestis. Digna profecto tanto victore vox est, cum in ipso conflictu eriam pro hostibus orat. Orat Patrem in terris, Ioh. XVII, et in throno maiestatis diuinae, Hebr. V 11, 25, pro firmitate coetus sui, quem ipse fundavit in petra multo firmiore, quam rupis Tarpeiac gloria est, cui nunc *τὸ βεβηνύσα τοὺς ἐγκεφάλους* incumbit.

Tu Te obstrinxisti nostram curare salutem. o) *alia crux*
 Mos erat antiquis hostiles vrere praedas,
 Aut Matri sacrate Luæ; p) Tu, Christe Redemptor,
 Destruis exutos hostes, stygiique furoris
 Exequias agis, ipse Tua sub morte triumphans;
 At fibi sacratas Clementia dia superne
 Prospicit exuuias, Christique cruento redemptum
 Absolut mortale genus. q) Sic ipse salutis

Chri-

o) Arma et spolia interdum, tropaci loco, congesta cremabantur. Eiusmodi crematio pertinebat ad sacra absulatoria et expiatoria, sive sic dicta piacula. Iis in sacris cum rei morbis, periculis, flagitiis absolvi credentur, etiam illos, qui caudem commiserant, a cæde expiari mos erat. Sic Horatius Lib. II, Oda I, arma, quæ ciuili bello in ipsa Romanorum vi-
 scera saueriant, vocat

Nondum expiatis vntcta cruentibus.

Cremabantur igitur arma hostilia a victoribus, ut cædes edita expiaretur; nam ignis omnia tollere et purgare credebatur, ut docet Vossius de Theol. gent. Lib. II, Cap. 63, pag. 643. Ut autem in omnibus sacris ab-
 solutoriis discingi moris erat, ita etiam Imperatores, cum praedam vre-
 rent, discingebantur, ut scilicet religione se solui ostenderent. Conf. Jul.
 Gac Bulengerus Tom. I, Opp. Lib. II, adu. magos, Cap. 39. et Tom. II,
 de Tr. pag. 7.

p) Cum prædae non solum in honorem Numinum bellicorum cremaren-
 tur, sed etiam ut expiaretur cædes, præcipuum numen, quod tali in
 sacrificio vocabatur, erat Mater Luæ, quæ purgationibus expiationibus
 que erat præfecta. Dicitur enim Luæ *lunæ*, quod omnia soluat. Lui-
 us Hist. Rom. XLV, Cap. 33. Caetera, inquit, omnis generis arma, preca-
 rius Martem, Mineriam, Luamque Matrem, et caereros Deos, quibus *spolia*
bostium dicare ius fasque est, ipse Imperator face subditæ succedit. Sunt,
 qui Lunam Matrem legere malunt, inter quos est Dempsterus ad Ro-
 fin. p. 284; sed Lunam inter belli præfides habitam fuisse difficile est de-
 monstratur. Accedit, quod Luna semper virgo habita sit, nunquam
 Mater dicatur. Veram est, Solem cultum esse inter nomina bellica, ut
 patet ex inscriptionibus numerorum: **SOLI INVICTO SOLI CO-**
MITI SOLI INVICTO COMITI, at de Luna eiusmodi mo-
 numen non extat. Agunt de Luæ Matre Vossius de Th. gent. Lib.
 VIII, Cap. 18, Buleng. de Tr. p. 9.

q) Clementiae et misericordiac diuinæ sacra sunt spolia per Christum par-
 ta. Haec enim ut nobis conciliaretur, per Christum eramus expiandi,
 qui contra Deum arma tuleramus iniustitiae et iniquitatis

Christus habet nostrae titulum, proprioque cruento
Inscribit sacro laeta argumenta tropaeo. r.)
Sic quondam Othryades, fortis dux ille Laconum,
Multiplici dudum confossum vulnere, turmis
Orbatusque suis, hostilia congerit arma,
Sanguinis inscribens fanie stillante tropaeum,
Atque suos ditat, victor post funera, ciues. s.)

E 3 Rara

r) Solus Christus salutis humanae titulum et gloriam sibi vindicat. Est enim causa salutis nostrae. Hanc salutem nostram assertam loquitur sanguis eius praetiosissimus, quo sacrum crucis tropaeum rubet. Et erunt, et tropaea suas habebant inscriptions et titulos, quod docent Lipsius de cruce Lib. II, Cap. II, et Buleng. de Tr. p. 8. Inscriptio crucis continebat causam supplicii et rationem, et Romanis vocatur titulus, quem vocem Iohannes XIX, 19. tenet, Matthaeus vero aetate nominat. Inscriptio vero tropaeorum ostendebat causam belli et Victoriae brevibus verbis, ut est apud Virg. Aen. III, 288:

laevis hoc de Danais victoribus arma.

Hac tropaei inscriptio Græcis vocatur *τρόπαιον*, docente Buleng. l. c. qua vox apte vntetur Marcus XV, 26; et Lucas XXIII, 38. Licet autem verba tituli inscructe Christi ignominia causa a Pilato sive posita, ipso tamen inuito veritate fatentur, cum per mortem adeo victoriosam non modo Iudeorum, sed omnium, qui credunt, Rex factus sit Sospitator noster. Huius de tituli forma et litteris plura videantur apud Nicquetum de titulo S. crucis, Lib. I, Cap. 6 et 7.

¶ Hic Othryades memorabilis exemplum ducis est, qui post mortem demum victoriam est adeptus. Cum enim Lacedaemonii et Argivii dominio Thryes, ciuitatis cuiusdam, inter se dissiderent, contentum est, ut vterque populus trecentos milites ad bellum mitteret, quo dissidium dirimeretur. Aequalis virtusque gentis strages fuit, ita ut Lacedaemoniorum plane nullus, Argiviorum vero vix unus et alter supereret. At dux Lacedaemoniorum Othryades multis acceptis vulneribus, adhuc leniter spirans, vi tamen mentis iussuus congerit Argivorum caeforum arma, et Ioue *τρόπαιον* erigit tropaeum, et sanguine, qui e vulneribus manat, vitus inscribit: *Lacedaemonii victores contra Argivios.* Post exspirat, Lacedaemoniique victores habentur. Hac appellatio τὸ τρόπαιον, quod obiter, sequoris acui temporibus Imperatorum titulis accessit, vt docet Spanhemius de Pr. Num. Tom. II, p. 225. In eo igitur comparandum hic dux cum Afferore nostro, quod paene a sepulcro victor vulnera gesit, ut digiris tropaeum inscriberet, vt ait Seneca Suitoria II. Auctores huius Historiae sunt, Plutarchus in Parallelis Tom. II, p. 306, et Val.

Maxi-

Rara tropaeorum vidisti insignia templis
Libera Roma, tuis, spoliis et victor opimis
Ter modo celsa Iouis decorauit tecta Feretri; t)
At tristi quae, Christe, locas in morte tropaeal
Vna strage notant victos, quos horreat orbis,
Esse hostes, nam sunt aeternae signa salutis
Nunquam iteranda Dei, nec restituenda, cruento v)

Quis Tibi, Christe, queat centum post horrida magnus
Bella triumphator socias coniungere lauros
Aut laudes aequare Tuas. Tibi supplicat omnis
Terra, suamque Tibi gaudet debere salutem.
Etsi, Christe, miser, merito spoliatus honore,
Pessima dedecorum pateris; x) tamen inclutus ipse

Exi-

Maximus Lib. III, Cap. 2. Conferatur; quoque C. Barthius ad Statuum
Lib. IV. Theb. p. 903.

Spolia opima dicta, quae dux exercitus, duce hostium sua manu caelos,
referebat in curru triumphans, in aede Iouis Feretrii solempniter dedicab-
bantur. Huius autem rei tria tantum exempla liberae Reipublicae tem-
poribus extant. Nam post Romulum, qui Acronem Caenimensem re-
gem trucidavit, contigit tantum Cornelio Cosso, et Claudio Marcello,
vt spolia opima referrent. Vtrique triumphi monumenta in praec-
claris genitis Corneliae et Claudiæ numis extant apud Spanheimium
Tom. II, p. 225. Liuins Hist. I, 10; Bina postea inter tot annos, tot bella
opima pars sunt spolia; adeo rara eius fortuna decoris fuit. Propertius
Eleg. IV, 11, singulari hacc carmine exponit.

v) Spolia victorum a Servatore nostro hostium humani generis maxime sunt
opima, sunt glorioissima. Sunt enim prostrati hostes totius humani
generis, hostes atrocissimi, et potentissimi, sunt prostrati omnes simul,
vt Salus nostra sit in tuto. Quo igitur absolutior Christi Victoria, et
quo plenior salutis nostrae reparatio est, eo securior est libertas nostra, et
nullius amplius restitutionis egens. Christus semel mortem obiit, atque
aeternam instaurauit redemtionem cruce suo, Hebr. IX, 12, ideoque
non quotidie vel centies repetenda est sine cruento. Arcus triumphales
apud veteres dirui poterant, et reparari; at tropaea, quae Diis erant
sacra, neque diruere fas erat, neque restituere, si vetustate essent con-
sumta, vt docet Bulengerus l. c.

x) Christo inter tot ludibria male sanorum hominum mortem victoriosam
obeyunti

Existis vindex hominum, mundique repertor,
 Imperioque Tuo victor Deus afferis orbem. y)
 Roma, caput mundi, conscedit culmina rerum
 Illorum virtute ducum, qui, paupere cultu
 Contenti, versare graues fuerue ligones;
 Sordida saepe redux coluit magalia victor
 Hesterna de strage calens, rurisque colonus
 Saepe sui oblatis fertur sumfisse secures.
 At Tu, Christe, ducum victorum nomina Victor
 Morte Tua; cœu nube, tegis; Tua gloria tanta est,
 Quantam non Oriens, non viderit Hesperus vñquam.
 Pax aeterna Tuo monstratur parta tropaco,
 Inque fidem humana mundus cum gente receptus.
 Ipse triumphali tendens Tua brachia queru, z)
 Metiris geminum placidis complexibus orbem,
 Eoum ceruice tenes, vestigia lambit
 Hesperus, hinc Austrum laeva, dextra erigis Arcton, a)

Nam

obeunti nihil aliud accidit, quam quod Imperatoribus Romae triumphantibus fieri solebat. Nam militibus, currum sequentibus, permittebatur, vt, quibus poterant, canillationibus triumphantis gloriam atterentes. Notum est exemplum Iulii Caesaris apud Suet. in cuius vita Cap. 49 et 51. Venuit Martialis VII, ep. 7:

Festa coronatus iudet convicia miles.

- Luculentius haec exponit Dempsterus ad Rosinum Lib. X, Cap. 29.
 y) Meliore iure haec de Assertore nostro possumus affirmare, quam de Imperatoribus quibusdam Romanis, quos superbissimi saepe appellationibus onerabat assentatio. Illustris Spanhemius assert ex numis titulos: DEO ET DOMINO NATO Aурchiano Aug. RESTITUTORI CONSERVATORI ORBIS, Tom. II, p. 484. DEO SERVATORI et DEO AVGUSTO Traiano; ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥ ΜΕΝΗΣ Neroni, p. 500. quem ad numum recte pronuntiat Spanhemius, illam appellationem vni vero et sacro sancto generis humani Servatori Iesu Christo, minime omnium decerrimo principi et parricidae deberi.
 z) E Quercu fuisse crux Christi, conicit Lipsius Lib. III, Cap. 13, et e quo cu etiam arma hostilia victores solebant suspendere, vid. Byleng l.c.
 a) Conf. Lipsius Lib. I, Cap. 10.

Nam Tibi tanta Tuo fundasti regna tropaeo,
 Quanta suis ripis vix ambiat Amphitrite,
 Hostibus atque suis, vacuae terrore, subactis,
 Innumeræ veniunt Tua sub tentoria gentes.

Frustra magnanimum, multum mentita yetutas;
 Obiicis Alciden: rara virtute tremendus
 Fertur inauditos vagus exhaustisse labores,
 Et miserum monstros purgasse immanibus orbem.
 Sed, modo qui validis terras seruauerat armis,
 Intus peste perit, claroque indigna tropaeo
 Arma, tot in bellis victricia, dantur in ignem
 Cum domino peritura suo: dolet anxius heros,
 Inclyta stipari miserando funere facta,
 Implet et insanis moriens clamoribus Oetam. b)
 At Tua, Christe potens, alieni cassa crutoris,
 Nulla caede rubet victoria, sanguine victor
 Factus es ipse Tuo; nunquam versatus in orbe
 Exultas hominum spoliis, sed morte triumphans

Exxui-

b) Quam stupenda facinora Herculi suo tribuerint gentes, notissimum est ex scriptis veterum. Inde Hercules VICTOR et ΣΩΤΗΡ frequenter audit in numis, Thaiforum praefertim. Habetur pro losu ab Heretio, Dem. Euang. Prop. IV, §. 13, seq. fuitque inter eos, quos Asser tori nostro pares virtute et factis fuisse existimabant pagani, et quorum meritis propofitis exsuffiamen illius opprimere conabantur. Multus est in laudibus eius Julianus Imp. Orat. VII, illumque Seruator mundi palam nominat: "Ον (τον Ἡρακλειαν) ο μήγας Ζεύς διὸς τῆς Περσίδας ἀντρός φύλακα της θεού τάντην, ὅλην την περιουσίαν αὐτῷ τῷ πολεμούσαντον ιφέντεν; eius tamen gesta false perstringit Lactantius Inst. diu. Lib. I, Cap. 9. Tantis vero rebus insignis, totque spoliis clarus Hercules, ignobili et miseranda morte perit, quam describit Ouid. Metam. IX v. 161 seqq. Ipse apud Senecam Herc. Oct. Act. IV dolore efferratus exclamat:

Vbique me mors fugit, ut letho inclito

Fortis carerem; perdidi mortem, heu mihi!

Toties honestam, titulus extremus quis est?

Exuuias ex morte refers. Quid inaniam tactas, esse
 Impietas, lignoque soles illudere Christi? subtilia
 Ille dolos populi, coniuratasque furentum
 In sua fata manus vno prostertere natu,
 Atque intentatam potuit praevincere mortem, o illi
 Praepollens virtute Dei; sed maluit ille
 Turpes ferre crucis poenas, vt sanguinis alma
 Dona sui faceret toti communia mundo:
 Poneret ut tumidos elata Superbia fastus,
 Fata videns miseranda Dei, Dominoque dolenti
 Aegra suo melius confidere sciret Egestas. c)

Perfugium quondam miseris, et flentibus aram
 Hospitibus, propriamque tibi, Clementia, fidem
 Attica sacravit pietas. d) Non facta metallo
 Haec Dea, nec quadam spirabat imagine Numen,

F

Et

c) Lactantius Inst. diu. IV, Cap. 26: Dicat fortasse aliquis, cur, si Deus fuit
 Christus, et mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus
 est? cur infami genere supplicii, quod eriam boni libero, quamvis nocente,
 videatur indignum. Primum, quod is, qui humilis adueneras, vt humili-
 bus et infimis opem ferret, et omnibus spem salutis offendeveret, eo genere af-
 ficiendis fuit, quo humiles et infimi solent, ne quis esset omnino, qui eum
 non posset imitari. etc. Cur vero crucis supplicium prae ceteris in se suffici-
 pere voluerit? Σωτήρ, eius rei rationes varias cumulat Sagittarius in
 Harm. hist. pass. I. C. Parte II, Cap. 12. p. 829. seq. item Bohus I, 10.

d) Haec est celebris illa ara Misericordiae, quam Atheniensium ciuitas, man-
 suetudinis humanitatis studiofissima, medio urbis foro habebat. Sic
 enim Paulianus in Atticis p. 15 ed. Sylb. Αθηναῖος δὲ ἐν τῷ θερόπεδῳ πάν
 οὐλά εἰσι, οὐκ ἐς ἀπάντας ἔπιστημα, καὶ Εὔλευς βαύρος. Οἱ μάντικαι Στένη, οἱ
 οὐδέποτε βίον καὶ μεταβολάς περγυματων ἐτιθέντος, μονοὶ τιμάς Εὐλύ-
 γαννητον Αθηναῖον. Legi meretur elegantissima eius descriptio, quam
 haber Pap. Statius Theb. XII, vers. 481 seqq. qui tamen non Misericor-
 diam nominat, sed Clementiam, sane metri causa. A Romanis vero
 Clementiae aram dedicatam fuisse, legimus apud Tacitum Lib. IV. An-
 nal. Cap. 74. Quae huius arae fuerit origo, quae fama, qui cultus, ipsi-
 us Statius ductu fuse explicat Barthius Tom. III, p. 1504. cui jungi potest
 Vossius l. c. VIII, Cap. 14.

Et solis aera lacrymis, non thure calebant,
Supplicibus commune sacrum, discriminis nullo
Ire datum, quisquis confusus Numine vellet
Delinire piis animi tormenta querelis.
Dicitur ille locus semper celebratus egenis
Coetibus, atque Deam nunquam spreuisse precantes;
Tutius at possunt nunc ad Tua, Christe, tropaea
Confluere, atque Tu confidere Numine gentes;
Totus es, o Iesu, clementia. e) Sanguine postquam

e) Amplus hic differendi locus esset, si omnia ex descriptione arae Misericordiae in rem meam vellem conuertere. Neque mireris, sacrum crucis tropaeum hic cum ara Misericordiae comparari. Praeterquam enim, quod arae saepius loco tropaeorum fuere, teste Buleng. l. c. p. 92 talisque tropaei instauratio interdum cum hostiarum immolatione, sicut si erat aliud, quam sacrificium, in gratiam victoriae, Numini vidam bellum factum. Inde factum est, ut hac arae Misericordiae accommodatio esse oculos ponere conarer, perpetiones Christi in cruce non modo esse diuinæ Misericordiae effecta, milieroque ac de salute sua anxios inuare, et recreare, sed etiam, triumphatis hæc morte cancris hostibus, regnum Christi exoriri mitissimum, quo Deus conciliatus sit humano generi, et quo Christus homines sanguine suo assertos ab atrocissimis hostiis insulibus defendat. Nam qui Asterribus suo adhaerent accrimi, qui victoram Christi suam faciunt, qui sub signis eius militant, nullo amplius hostium metu confunduntur, nullo mouentur terrore, et in aeternas salutis spe placidissime acquiescent. Spectant hæc ad ea, quæ Statius de ara Miser. pronuntiat:

vnde procul starent iraque, mina que
Regnaque, et a iustis Fortuna recederet aris.

Plena fuit sacra litteræ prædicationis misericordiae diuinæ erga genus humanum. Dicitur a Paulo apparuisse *κενότης*, καὶ φιλανθρωπία Seruatoris nostri, qua salvos nos fecerit secundum misericordiam suam Tit. III, 4, 5. Hunc commentit, si ab eodem Christus dicitur a Deo constitutus *ἰαυγός*; Rom. III, 25. Hoc ad *ἰαυγόν* cum uniuicique patet adiutor, ipse Christus ad se vocat τὸν κοπιῶντας καὶ πιθανοπινας, illoque diuina solita et lementa promittit. Simili modo Statius de aris sua affirmat, illam a Diis postquam locatamque fuisse, ut esset *Confugium*.

Quem

Humani generis domuisti mortuus hostes;
 Deuotos Tibi mitis amas, Tua signa sequentes;
 Sanguine non opus est, non largi munere thuris,
 Flecteris obsequio facili, lacrymisque dolentum;
 Illa Dei quondam Clementia, semina mundi
 Quae primum vultu digestit mixta sereno,
 Congeriem miserata rudem f); nunc illa benigne

F 2

Eri-

Quem ad locum egregie obseruat Barthius, intelligi homines cuiusque tetric aduenas, quali locutione vtatu Servator in celos ascensurus, cum omnem creaturam baptisandam iubet.

- f) Loquor hic veterum more, non vero ex veterum sententia. Veteres cha-
 os aeternum statuebant, nos ex saniore doctrina aliter edocemur.
 Quanquam enim illud meum non faciam, possum tamen hoc ex veterum
 opinione retinere, certo modo applicare, quod Clementia Dei ru-
 dem molem, ante a se productam, ita disponuerit, ut omnes inde res
 efformaret. Credebat nimur veteres, Clementiam esse virtutem o-
 minium excellentissimam, qua mundus et productus sit, et adhuc gu-
 bernatur, quia haec virtus omnium esset moderatissima et maxime tem-
 perata, qua sine temperie neque quid efficaci, neque quid gubernari pos-
 sit. Hanc ob rem a Claudio dicitur *Clementia maxima natu colicola*,
 dicitur *custos mundi*; dicitur *Iouis incolae zonam*, quia Iupiter summa,
 omniaque moderans potestas credebat; dicitur porro *prima cha-*os soluisse, primamque lucem produisse*, Lib. II de laud. Stilic. v. 6. seq.
 Plura veterum loca suppeditabat Barthius ad Claud. p. 225 seqq. Haec,
 licet fabularum inuolucris conuentantur, quodammodo tamen ad veri-
 tatem accidunt. Illud certe sane ratione est convenientissimum, pri-
 mum principium ex quo caetera originem trahant, debere esse tran-
 quillum, placidum, sibiique ipsi contentaneum. Vbi enim est discordia,
 ibi nihil efficitur. Hanc itaque Clementiam Dei, quae prima mun-
 di elementa produxit, atque digestit, dico quoque genus humanum mi-
 seris suis eripuisse, pacemque inter Deum et homines conciliasse. Ipsa
 sic loquitur Scriptura S. 2 Cor. IV, 6, illum nempe Deum, qui in prin-
 cípio rerum prodire iussit lucem e tenebris, illum quoque illustrasse
 animos Apostolorum, vt horum ministerii propagaretur cognitio Iesu
 Christi salutaris. Quemadmodum enim elementa sua, soloque deside-
 rio communicande cum opificiis suis bonitatis suae adactus, effinxit ho-
 mines, ita etiam misericordia sua illos salvos facit, propterea quod op-
 ifica manuum eius sunt. Diserte Clemens Alexandr. Strom. II, p. 392:
Οὐδὲ οὐτε εἰς ὑπόστασιν πλανεῖσθαι τὸς κατὰ μηδὲν προσκοντας, η γενε
*ηγενε**

Eripuit miseris homines Clementia fatis,
 Humanas miserata vices. ^a Tua, Christe, reduxit
 Gaudia confectis nunc indulgentia terris;
 Mitis obaeratos soluisti sponfor egenos,
 Sanguinis atque Tui lenisti munere curas,
 Quae vario terrore genus mortale premebant,
 Fleibile mancipium Ditis, Mortisque tributum.
 Nam cruce fixisti chirographa saeva trabali,
 Atque potestates, exutae viribus, Orci
 Clara tropaea Tibi, laetumque dedere triumphum, ^{g)}
 Quo nunc perfunctus, summi Capitolia coeli
 Ingressus, ^{h)} patriaque in maiestate verendus
 Exoras pro gente Patrem. ⁱ⁾ Tibi curia tota
 Sanctorum procerum laetum paeana perorat:
 Vicit io! magnus victor, contriuit et hostes
 Iudea de gente leo; ^{k)} sed turba per orbem,
 Quae pia, Christe, Tibi sacrauit pectora, gestit,
 Cum Paulo lactante canens; Vbi nunc tuus, o Mors,
 Est stimulus, quo nunc cessit tuus, Orce, triumphus? ^{l)}

Omnes

^{a) μάτι λίγων, ή φύσει, ή δυνάμει τη διαίσθησις τῶν ἀνθρώπων, μόνη δὲ τὸ ἔργον εἶναι}
^{τέλεσθαι αὐτῷ.}

^{g) Solatii plenissima sunt verba Pauli Col. II, 14, 15, vbi Christus dicitur}
^{τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγενον sustulisse e medio, et affixisse cruci, exutaque}
^{potestates ostentasse palam, atque in triumphum duxisse. Chirogra-}
^{phum illud cruci affixum ex antiquitate eruditissime explicit Ill. Bergé-}
^{rus Strom. Acad. p. 780 seq. Spoliis, tropacis, captiuisque antecedenti-}
^{bus longam duxisse pompa triumphantem, notum est, et pluribus expo-}
^{nitus a I. Caef. Bulenger de Tr. Cap. XXV, p. 48.}

^{h) Respiciunt hic ad morem triumphandi, quo Imperatores Rom. Capitoli-}
^{um subibant, ibique Ioui supplicabant. Arator poeta Christianus cor-}
^{pus Christi celo illatum tropacum vocat Lib. I. Hist. Apost. v. 39:}
^{Ingredientisque polum carnis comitante tropaco}
^{Exuvias atri rapiens de fance profundi}
^{Lucis in aree locat.}

^{i) Ebr. VII, 25.}

^{k) Apoc. V, 5.}

^{l) 1 Cor. X V, 55.}

Omnis absorpsit felix Victoria Christi,
 Dite licet frendente, minas; iam regna resurgunt
 Mitia, quae vultu Clementia temperat aequo.
 Pax agiles fert alta gradus, venit obuia Paci
 Iustitia, et roseis figunt sibi basia labris. m)
 Robore, Christe, Tuo victis immanibus Orci
 Praesidiis, nullo mundus terrore mouetur;
 Omnis Te populus Te natio cuncta celebrat,
 Et Tibi magnanimi sternunt diademata reges.
 Imperio crescente Tuo domat optima gentes
 Relligio stultas, et mansuetudo feroceas.
 Te nouit populus Phoebo lustratus Eoo,
 Diues Arabs, Indusque niger, Nabathaea que regna
 Thuris odoratis adolescent Tibi messibus aras;
 Te Tartessiaci veneratur littoris hospes,
 Quique colunt niuibus Tanaim spumantibus auctum,
 Exiguoque bibunt nascentem gurgite Nilum.
 Mansueticit feritas, refugus Te Parthus adorat
 Et Geta, Massagetes exsanguia pocula misceret,
 Atque salutares trepido bibit ore cruores. o)

F 3

Vi-

m) P. LXXXV, 10, II.

n) Lactantius de Mort. Pers. Cap. III: Nullus erat terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset; nulla denique natio tam feris mortibus viuens, ut non suscepit Dei cultu ad inflitiae opera misericerer. Hinc Prudentius Praef. in Symm. Paulum vocat praecomenum Dei

qui fera gentium

Primus corda sacro perdomuit stilo.

o) Quanta iam a primordiis suis incrementa ceperit civitas Dei, testis esse potest Irenaeus adu. Haer. Lib. I, Cap. 3, ubi varias disiunctasque maximae ecclesiæ nominat. In primis vero audiendus Iustinus M. in dial. cum Tryph. p. 345: Οὐδὲ ἐν γῇ ὅλῃ ἵστι τὸ γένος αὐθεράπων, εἴτε βαρβάρος, εἴτε Εἰδώλος, εἴτε ἀπλός φτωχὸς ὄντας προσταγοφυσιμόν, οἱ Αμαζόβιοι οἱ δάκιαι καλημέται, οἱ ἐν σκηνᾶς κτηνοτρόφαις ὄντες, οἱ διε μὴ δὲν τῷ ὄντες τῷ επιφεύγοντος Ιησῷ εὐχαὶ καὶ ἴνχαξια τῷ πάτερι καὶ ποιητῇ τῷ ὄλεν γίνονται.

Vidit, Christe, Tui victoria signa tropaei,
 Vidit, et obstupuit, perculsis gentibus, orbis.
 Affulget, regnante die, crux aurea coelo, p)
 Dum castris positis expectas prouidus hostem,
Constantine, tibi, tanto splendore coruscans,
 Quanto non radiat variata coloribus Iris.
 Insignis titulus circum coeleste tropaeum
 Fulget: *In hoc vinces.* Vicisti! Maxime Caesar,
 Atque tibi cessere hostes, idolaque Christo. q)
 Mox cruce signatum labarum vexilla cohortum
 Sub Christo victura regit; r) stupuere verenda

Signa

p) Autores historiae huius praecipui sunt Eusebius de Vita Conf. Lib. I, Cap. 28, Socrates Lib. I, Cap. 2. Sozomenus I, 4. Demonstravit sane Servator noster fulgentissimo hoc crucis signo, sc̄ etiam regnorum terrarum, victoriarumque largitorem esse, cuius rei plura quoque exempla in sequentibus adduxi. Sunt quidem non pauci, qui rem totam in dubium vocare ausi sunt, e quibus est Oſcelius iam saepius citatus p. 463, qui historiam hanc ad fabulas pie confictas amandat, eam vero veritati fuisse restituit Ill. Bergerus in Strom. Acad. p. 365.

q) Mirum, quantum post vindicatam religionem Christianam et imperii Romani felicitas, et ecclesiae ab externis hostibus securitas sit stabilita. Nam Maxentio, Maximino, Licinioque feliciter profligatis, ipse solus imperium obtinuit Constantinus, et quiete administravit, aliis quoque subinde victoriis inclusus, unde magnificentum nomen *debellatoris genium bararum* meruit, quod est in nimo apud Laur. Bergerum Thel. Br. Tom. II, p. 800. Superatis igitur hostibus suis, quietem, qua ipse perfruebatur Constantinus, indulxit quoque ecclesiae, quae tum sane reuirescere videbatur. Quam studiose, licet lenibus initio remediis, animos paginarum emendare, Christianamque religionem amplificare conatus sit, legere poteris in dissertatione, quam Cel. Jo. Guil. Hofmannus, admirabile olim Academiae nostrae fidus, habuit de *Ritu superflitionis paganae*, §. 2, 3. Hinc effus in Constantini depraedationem sunt Christiani scriptores. Eusebius de vita Conf. I, 41 refert, omnes Romanos post victoriam Constantini quodammodo respirare vilos, καὶ νέα πατεριστικά περίξ. Inde est, quod in quibusdam eorum temporani numis conspicuatur Phoenix radiato capite, sphærae insistens, cum inscriptione:

FELIX TEMPORVM REPARATIO.

r) Labarum erat praecipuum totius exercitus signum; successerat enim in locum

Signa truces aquilae, quae quondam triste gementem
 In ligno Dominum fastu cinxere minaci.
 Saepius experta est diuini facta tropaei
 Obsistens acies; sensit Maxentius audax,
 Muluius exceptum Tiberis cum voluit in undas, s)
 Sensit et Eugenius, crudelia bella minatus
 Theodosio; sed vota Deus ducis anxia firmans,
 Prouocat armatas hiemes, quae missa citatis
 Tela iuuant animis, contraque effusa repellunt
 Auctores caesura suos. t) Crucis hocce tropaeo
 Romanum florere putans Heraclius orbem, v)

Vin-

locum vexilli Imperatorii, quod ab antiquissimis temporibus Romanorum exercitibus praefuit, Imperatorisque nomen gerfit. Conf. Valesius ad Sozom. p. 99. Bosius l. c. p. 627. seq. Lipsius Lib. IIII, de Cruce Cap. 15. Plura non fuisse, praeter unum, in exercitu quolibet labara, colligo ex verbis Prudentii Lib. II in Sym. v. 712.

- cecinere tubas, prima hasta dracones

Praecurrit, quae Christi apicem sublimior effert.

s) Vid. Euseb. H. E. Lib. IX, Cap. 9. et de vita Conf. I, 38. Socrates I, 2.
Lactantius de Mort. Perf. Cap. 44. Prudentius in Symm. I, v. 482.

t) Felicis admirandique huius praelii testimonium cumulat Barthius ad Claudianum de IV Conf. Hon. p. 509 seq.

v) Heraclius bellum Persicum, sub Phoca infeliciter plerumque gestum, tandem bona fortuna finit, pacque facta cum Siroe, Cosrois filio, cruce a Persis Hierosolymis ablata recuperavit, locoque suo restituit. Vid. Cedrenus Annal. p. 344. Fuit forsitan haec illa crux aurea, lapidibus pretiosis ornata, quam Theodosius II cum multa pecunia ad Iuvenalem Episcopum Hierosolymitanum, misit, ut in monte calvariae figuretur, referente Cedreno, ad annum 420. Nam crux ab Helena inuenta Hierosolymis non manxit, et in varias terrarum partes abiit, teste eodem Cedreno, atque, si crux a Persis recuperata, fuit ea, quae ab Helena inuenta est, non video, cum Persae gentiles in fernando crucis ligno ignobilis fuerint tam tenaces, vt post longum et difficile bellum demunarentur. Extat numus eximiae magnitudinis, hanc victoriam Heraclii representans, prolatusque a Lipsio, Bandurio, Oisilio, qui eundem pro minus genuino habet. Eius cfigiem et exemplum ne hic describam

Vincit Achaemenium Siroem felicibus armis,
Palladiumque illud repetens post foedera pacis
Restituit Solymis, infuso more triumphans.
Triste quidem signum, et foedae nota sordida poenae
Crux tibi, turba, fuit, sacrifcios operata profanis; x)
Huius saepe tamen manifesta potentia signi

Eni-

bam, angustiis prohibeo. Alium vero, nec minus egregium, afferit Spanhemius, de Pr. Num. Tom. II, p. 639. Conspicuntur hic Heraclius, eiusque filius Constantinus, sedentes, quorum inter capita crux supra legitur: ERA CLIVS ET ERA CONST. PP. AVG; in parte altera est crux supra glibrum et basin erecta, cum memorabili inscriptione: DEVS ADIVTA ROMANIS, ex qua apparet, quantum praesidii posuerit Heraclius in Christo cruci affixo. Imperatores quoque Christiani figura crucis imaginibus suis addita indicare voluerunt, se per fidem in Christum crucifixum imperio esse potitos. Sic enim Suidas, in voce Iustinianus: ἵσπος τῇ ιαυτῇ ἰερῷ εἰναι τοῖς αἷοις ἐφ' ιαυτῇ. Καὶ τῇ περ ἀγορᾷ καὶ φέρει σφύραν, μεταποίησος τῷ σαρκὶ τοῦ ιαυτοῦ σημαντός, ως διὰ τῆς εἰς τοὺς σάρκας πίετος τῆς γῆς ἴαυτον τούτον. Paria de Constantino refert Eusebius de V. C. Lib. IIII, Cap. 49.

x) Impietas pagana, quae in Christianos defauiebat, tum multa conquirebat furoris sui nutrimenta, tum praeципue in hoc agitabat acerbitatis virus, quod Christiani hominem colerent cruci affixum. Hoc genus supplicii cum omnium turpissimum, Christianos vero abieci animi homines arbitrarentur, illos tantum cruciculos appellabant. Inde factum est, ut Apologetae crucem in primis contra paganos defendendam putarent. Tertullianus Apol. Cap. 16: Sed et, inquit, qui crucis nos religiosos putas, consecraneus erit nosfer, etc. Minucius Felix loco supra annot. Iustinus Apol. II. Iniquissima sane haec paganorum erga Christianos fuit castration, cum atrocissima supplicia deorum Diis sumta passim legamus, ut demonstrat Huetius in Quæst. Aln. Lib. II, Cap. 19. Adonin Proserpina, Cupidinem Heroides in crucem egore: Asbolam, verustum heroa, ab Hercule cruci affixum memorat antiquum epigramma apud Philostratum in Heroicis, citante I. A. Fabricio Bibl. Gr. Tom. I, p. II. Licet quoque crucis supplicium antiquis esset infame, non tamen eorum philosophi hoc indignum censebant viro iusto et honesto, si eius virus inde fieri posset clarior. Lactantius Lib. VI, Inst. diu. Cap. 17, hunc nobis egregium Seneca locum seruat: Hic est ille homo honestus, qui sine toto corpore tormenta patientia fuit, sine flamma ore rapienda est; sine extrendendae per patibulum manus, non queritur quid patiatur, sed quam bene. Fusius hoc de arguento differentem videtas Kortholtum in Pag. Obtr. Lib. II, Cap. VI, et VII.

Enituit, cum sacra cruci cessere Deorum,
Exaque sollicitus turbata refugit aruspex; y)
Hostiles tremuere acies, aduerfaque signa
Signo vrgente crucis, pauidis fugere maniplis. z)
Ipse Deus praefens quo numine bella secundet,
Marce, probas, medio belli discrimine victor. a)

y) Afferit haec Lactantius Lib. IV Inst. diu. Cap. 27. indeque multus est in laudibus crucis sacrificiū enarrandis Eusebius, Orat. de laud. Conf. Cap. 9. vbi inter alia signum crucis vocat flagellum daemonum. Exempla afferunt Lact. de M. P. Cap. X. Prudent. Apoth. v. 460 seq.

z) Docent hoc tum insignes victoriae, quas Constantinus de hostibus suis reportauit, simil ac sub signis Christi militare inciperet, tum etiam alia exempla. Saepius vbi inclinare acies inciperet, objecto hoc signo restituiebatur, cuius rei fides fit penes Eusebium de V. C. Lib. II, Cap. 7, et 16, Sozom. Lib. I, Cap. 4. At inepta sunt, quae afferit Bosius de Tr. Cr. Lib. V, Cap. 12, p. 498: *In quorum, inquit, numismatum (quae signa Romana repreäsentant) consideratione Christiano more argumentari liber, non es- se, cur mireremur, quod Romanus populus tot mari terraque victorias adp- sis, argue orbem terrarum paene uniuersum suo fabegerit imperio; cum exerci- cium et classium suarum vexillis iuicium et triumphale crucis signum deferret.*

a) Quados, qui cum Marcomannis, aliisque vicinis populis in Romanos surrexerant, feliciter profligauit M. Aurelius Imp. Quam graue hoc bellum Romanis, quamque gloriosum Aurelio fuerit, docet lul. Capitonus in eius vita Cap. 17, *Contra Germanos*, inquit, res feliciter gesit; specialiter ipse bellum Marcomannicum, sed quantum nulla vnguam memoria fuit, tum virtute tum etiam felicitate tranfegit. Inde non mirum, quod hodiennum tot numi extent hanc victoriam testantes. Vid. Oisel. Tab. XXV, n. 5, 6, 7, 8, 9. Tantis vero sitis penuriaque calamitatibus, locorumque angustiis premebatur exercitus Romanus, ut sine dubio periret, nisi Deus affuisset ex machina. Tempeſtas enim exoriebatur fulminibus imbribusque grauis, Quados delens, Romanos reficiens. Adcri- bunt hoc pagani scriptores vel carminibus magorum quorundam, vel precibus ipsius Imperatoris; vid. Lampridius in Elag. Cap. 9. Capitonus in Marco Cap. 24. Claudianus de VI Cons. Hon. v. 348; at Christiani scriptores referunt ad preces Christianorum legionis Meliteneae, Xiphil. LXXII, p. 805, Tertull. Apol. Cap. 5. Eusebius Hist. Eccl. Lib. V. Cap. 5. E recentioribus cum patribus sentit Herm. Witius in Diatr. de leg. fulm. eiusdem Aegyptiacis annexa, contrarias vero partes tenent lo. Clericus in Hist. eccl. duorum priorum sec. ad annum CLXXIV

Emoritur calidis sitiens exercitus aruis,
Milite versutus languente superuenit hostis;
Nec mora; laeta redit virtus, hostisque fugatur.
Densantur piceae late super agmina nubes
Hostibus exitium, Romanis dona ferentes;
Fulmina miscentur telis, ambustus oberrat
Quadus, et aethereos fugiens non effugit ignes.

At quid gens tumidas tollis Iudea saliuas,
Atque cruci vesana parans ludibria, Christo
Insultas, veluti victo? Sed vicit! et arcis
Destruxit Solymas; toto nunc orbe vagaris
Occiso ceu fratre Cain. Diuina tuorum
Quondam facta ducum peperit fiducia Christi
Victricisque crucis: b) Moses cum brachia tendit,
Succumbit pugnax Amalec: c) fugat hostica seruis
Agmina tercentis Abraham: d) fraenante fugacem

Cum

p. 744. et Daniel Larroquani in diatr. de leg. fulm. Aduersariis Matthei Larroquani adiuncta. Memoriam huius victoriae conferuat adhuc columna Antoniniana Romae superferas. Ad hanc quoque respexit mihi videtur Corippus Africanus de laudibus Iustini II, Lib. III, v. 341:

Gens quaecunque ausa est Romana lacefere signa;
Horruit extintas inopino fulmine turmas.

b) Inueterata veteribus Christianis est peruersio, crucem Christi antiquis temporibus saepius fuisse adumbratam. Non ergo mirum, illos tere in omnibus geffis factisque temporum V. T. crucis aliquam speciem inuenire. Sic Prudentius *sig. sephi. v. 629.*

Crux praenotata, crux adumbrata est prius,
Crucem vetusta combiberunt secula.

Verum est, Patriarchas, aliosque antiquissimae ecclesiae viros, multa admiranda geffisse fide in Christum venturum, vt ipse Paulus docet ad Ebr. XI. hoc tamen non contenti Patres ecclesiae, vbiunque inuenire poterant aliquam crucis speciem, huic virtutem illam adscriberabant.

c) Hoc de facto admirando loca patrum ecclesiae collegit Iac. Bosius, l. c. III, 10.
d) Ingeniosa sunt, quae hic afferit Clemens Alex. Lib. VI Str. p. 656. Dicit, in numero hoc C.C.XVIII (tot enim seruos Abrahamus contra regulos misit)

PARASCEVASTICA

st

Cum Luna Phoebum Iosua, quid maius habetur? e)
At tibi corda rigent monitis imperula sanis.

Nostra tamen Pietas, sancto succensa calore,
Christe, Tuo cordis sacraria vouti honori,
Et spolia humani generis direpta tyrannis
Iam memori sub mente colit, monumenta triumphi
Semper amanda Tui, nullisque abolenda periclis! f)
Munera tanta Tibi, quis, Christe, redhostiat vnguam?
Hostia qui factus pro nobis, morte salutem
Orbi restituis; Non, si frondosa coronas
Donodae querecta darent, si diues odorum
Fragrantes metteret felix Panchaia messes,
Tot meritis vnguam digni referentur honores;
Ingentis per Te seruatis ciuibus orbis,
Assertisque polo. Sic nullis quassa malorum
Nostra salus stat firma minis; victoria letho
Parta tropaea Tuo nobis armaria praeflant; g)

Robore

misi) si graecis litteris scribatur, contineri et crucis figuram, et nomen
Iesu; haec enim sunt litterae T H. Significari igitur, eos suisse Abrahami
domesticos et coniuctos, qua' eandem salutem sperauerint, atque
confugisse ad signum Domini, in eiusque nomine pugnasse. Conf. Bo-
sus III, 20.

e) Sedulus ir carmine paschali I, v. 152:

Iam tunc famulata videbant
Sidera venturum, praemissio nomine, Iesum.
f) Respiciunt hic ad morem Romanum; quo arma hostibus crepta domi po-
stibus affigi, aut in tricliniis suspendi solebant, quae dimotere, vel refi-
gere nulli, ne nouo quidem domus possessori, fas erat. Atque ita de-
bebant esse incitamento, vt gloriam maiorum ne defererent, omni potias
conatu aequi studebent. Conf. Dempst ad Ros. Lib. V, Cap. 28, et
Buleng. de Tr. p. 2.

g) Hostium nostrorum per mortem Christi non solum vires sunt fractae, sed
nos etiam virtute diuina, remedisque salutaribus, tanquam armis, instrui-
mur, qui sub Christi Agnis militamus. Describitur haec Christianorum

7419

Robore quae firment animos: thorace decoro
Iustitiae tegimur mitis de munere Christi;
Accipimus fidei clypeum, qui spicula Ditis
Feruida sustineat, virtutis cingimur ense,
Armamur galeaque spei, post ultima tandem
Fata triumphali dabitur fulgere corona.

At Tu, Christe, potens Vindex, Spoliator et Orci;
Pacis et aeternae Reparator, cerne, laborans
Quantis iactetur Germania tota procellis,
Cerne armis inter se se concurrere gentes;
Vix regio terrore vacat, totamque Gradiui
Europam cinxere faces. Quonam usque furor?
Effraeno patrias bacchentur bella per oras?
Fac, redeat pacata quies; qui que omnia vincis,
Qui Mortem superas, qui formidata draconis
Infernī pede colla feris; nunc vince feroceſ
Vince potens animos; redeat Concordia felix,
Et populos adamante liget, collectaque vires
Ipſa suis pellat Germania finibus hostes.

Te solum oramus, nam post diuina tropaea
Ultro terrestres subeunt Tua fraena Triumphi.

*πανοκλία a Paulo Eph. VI, 10, quem imitatur Ignatius Epist. ad Polyc. p.
14. edit. Voss. Ἀριστεῖς φερτινοῖς, φέρεται τὰ ὄψιμα κομιζόντες μάτια
ὑπὸ δειπνοῦ εἰρηθῆ τὸ βάστασμα ὑμῶν μάτιον αἱ στάσι, οἱ περι-
πεφύλακα, οἱ εὔγενοι αἱ δόρυ, οἱ ὑπεροχοὶ αἱ πανοκλία, τὰ δενδρίτα ὑμῶν
τὰ ἔργα ὑμῶν, τὰ τὰ ἀκιντα ὑμῶν ἔργα κατεύθυνται. Hic locus a mul-
tis vapulauit; quia voces quafidam Romanas continent, quae facile gra-
cæ reddi potuerint. At vero sunt insignia e re militari et iure Romano
segmenta, beneque ad rem sacram applicata. Neque etiam talia a stilo
Ignatii sunt aliena, vt probe indicat Vossius ad ep. Ignat.*

V I L T E M B E R G A E
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.

ULB Halle
005 458 439

3





Z Beyer, J.W. v. 1414

16